MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-7

AUTHOR:

HEIDEMANN, ADOLPH

TITLE:

DE CICERONIS IN EPIS-
TULIS VERBORUM

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1893

Master Negative #

92-80467-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CE
Z81

Heidemann, Adolph, 1867-
De Ciceronis in epistulis verborum ellipsis usu; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Adolphus Heidemann... Berolini, typis expresserunt G. Zahn & H. Baendel, 1893.
108 p. 24 cm.

Thesis, Berlin, 1893.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11 x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE CICERONIS IN EPISTULIS VERBORUM ELLIPSIS USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXXIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ADOLPHUS HEIDEMANN
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
MAXIMILIANUS IMMICH, DR. PHIL.
KAROLUS HOPPE, DR. PHIL.
FRIDERICUS KREBS, DR. PHIL.

BEROLINI 1893.
TYPIS EXPRESSERUNT G. ZAHN & H. BAENDEL,
KIRCHHAIN N.-L.

PARENTIBUS OPTIMIS

S.

In scribendis epistulis homines omnium temporum saepe liberiore et minus gravi dicendi genere esse usos, quam in componenda publica oratione vel commentatione philosophica, non est mirum: etenim si respicias, *epistularum generum unum illud certissimum esse, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset* [1], concedas necesse est, eum qui litteras dat, non tam elegantem et perpolitum sermonem quam cotidianum sequi, id est eum, quo uti solet, cum de re quadam cum amico colloquitur.

Qui sermo cotidianus vel familiaris cum in Ciceronis orationibus perraro exstet, in philosophicis libris nonnumquam legatur, ab epistulis non est alienus, cuius rei testem habeo ipsum Ciceronem, qui multis locis monuit, cotidiano se uti in litteris sermone, nullo tamen uberius et planius, quam in ep. ad Paetum data [2]), ubi haec exhibet: *Verumtamen, quid tibi ego videor in epistulis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo! quid enim simile habet epistula aut iudicio aut contioni? . . . . .; epistulas . . . cotidianis verbis texere solemus.*

Cuius liberioris dictionis cum alia tum hoc maxime est proprium, ea relinqui supplenda, quae etiam in sermone facile omittuntur.

Neque solum in epistulis, quas Cicero ad amicos dedit, sed etiam in iis, quae ab his ad ipsum missae sunt, tale brevitatis studium apparet, ita tamen, ut in illius litteris

---

[1]) fam. II, 4, 1.
[2]) fam. IX, 21, 1.

ad Atticum datis latissime hic usus pateat: quo enim artiore erat affectus amicitia in eum, ad quem scripsit, eo liberiore sermone utebatur. Sic etiam ad Quintum fratrem et ad Paetum et Caelium, quibuscum aut necessitudine aut familiaritate coniunctus erat, plerumque liberius Ciceronem scripsisse videmus quam ad ceteros familiares solebat.

Contra, si ad homines litteras dabat, qui in republica gerenda multum valebant, quorum magna erat auctoritas, sed qui amicitia cum Cicerone non coniungebantur, plena oratione et gravi, pro eorum dignitate, quae communicanda erant, nuntiavit. Eiusmodi est maxima pars earum, quae nunc in volumine *Epistularum ad familiares libri XVI* inscripto continentur.

Apparet autem breviloquentia potissimum in omittendis singulis vocabulis: cuius ellipsis tria sunt genera: et pronomina omittuntur et substantiva, ita ut nude positum sit adiectivum, et verba, de quibus solis hoc loco disputare mihi proposui: etenim pronominum et substantivorum ellipsis qualis sit usus disceptatio, singulari quaestioni reservanda est.

Tres fere invenio causas, cur qui dabant litteras verba omiserint: unam, quia, qui scripsit, in epistula exaranda familiari utebatur sermone, quippe qui nuntiaret, quod nisi in praesens tempus non valeret.

Deinde omissa verba videmus in iis epistulis, quae satis demonstrant, animo vehementer commotum et perturbatum fuisse qui eas dederit; eiusmodi litterarum dictio admodum abrupta est: brevissimis sententiis, neque iis plenis, Cicero quid qua de re sentiat strictim significat aut facta resque gestas perpaucis verbis describit. Exempla si requiris, tale aliquid praesertim in iis litteris reperies, quas dubiis temporibus, republica civilibus bellis labefactata scripsit. Ex magna exemplorum copia has admodum ellipticas afferam: Att. XIII, 41; 52. XIV, 12. XV, 9; 20.

Denique tertia ellipsis causa est brevitatis vel utilitatis, epistularum maxime propria: etenim cum Cicero aut epistulae

respondet aut ex ipsius antecedente quaedam affert, brevissime paucis rem, de qua agitur, repetit et adverbio tantum posito, omisso *faciendi* sive quo alio verbo exhibet, quid ipse de re iudicet. Similiter verba omittit, quae, cum in unaquaque fere epistula occurrant, facile a quovis, si omissa sunt, subaudiuntur, velut *scribendi, rescribendi, mittendi, reddendi, accipiendi.*

Verborum ellipsium duo genera apte distingui posse videntur: unum quo ea verba continentur, quae in simili contextu orationis saepissime supplenda relinquuntur non modo in Ciceronis epistulis, sed etiam in iis, quae ad hunc datae sunt, alterum, quod eas ellipses complectitur, quae ortae ex tempore et in tempus semel praeter consuetudinem dicuntur. Quorum generum si comparaveris, quot exstent in Ciceronis epistulis, quot in familiarium litteris, facile cognosces, in illis latissime patere hunc usum, in his eum valde esse circumcisum.

Verborum praeter consuetudinem omissorum licet tres distinguamus formas, primam, ubi verbum omissum est nec antecedente nec sequente simili verbo, secundam, ubi ex antecedente sive eiusdem sententiae sive proxime praegressae omissum verbum subintellegitur, tertiam, ubi verbum in prima enuntiati parte omissum audiendum est ex posito in altera eiusdem enuntiationis parte.

Quas species ut singulas exemplis ex ipsis litteris ornem, plurima haec sunt, ubi nec antecedit nec sequitur simile omisso verbum. [1]) Exempli causa haec fere afferam: Att. XI, 14, 3: *HS XXX potuisse* (sc. comparari) *mirarer, nisi multa de Fufidianis praediis* (redirent). Att. XII, 5, 3: *Dabis igitur tribunatum et, si poteris, Tubulus quo crimine* (sc. accusatus sit). Att. XII, 7, 1: *De liberalitate, dixi,* (sc. me daturum), *quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio* (dedissent). In Caelii ep. ad Cic. data, fam. IIX, 2, 1

[1]) ut ex solo sermonis contextu, quid audiendum sit, sumere debeamus.

legimus: . . . . . *intactus ab sibilo pervenerat Hortensius ad senectutem; sed tum tam bene* (conscissus est). *ut in* . . . . Brut. II, 5, 4 [1]): *Itaque ille dies silentio* (praeteriit). In eiusdem epistulae paragrapho prima leguntur: *Recenti illo tempore tu omnia ad pacem. . . . . ego omnia ad libertatem* (refero).

Facere hoc loco non possum, quin moneam, interdum recte dubitare nos debere, quidnam sit supplendum: Att. XIII, 51, 2: *Tigellium totum mihi, et quidem quam primum: nam pendeo animi.* Sunt qui subintellegunt: *restitue* vel *reconcilia;* Mongaltius cum haec verba sic verterit *Rendez-moi compte de tout ce que vous aura dit Tigellius*, supplere *narra* vel *exhibe* videtur. Hoc Schuetzio [2]) placuit, illud Wielandio [3]); fortasse *reddendi* verbum nostro iure subaudiemus, quod legitur ad fam. XVI, 19 (Cic. ad Tir.): *Demetrium redde nostrum et aliud, si quid potes boni.* — Att. XII, 37, 2: *Maxima est in Scapulae* (sc. hortis) *celebritas, propinquitas praeterea, ubi sis* (alii *urbis*), *ne totum diem in villam*: quam codicis M lectionem Baiter [4]) et Wes., Manutium secuti, mutaverunt et, cum spectarent ad Ciceronis verba — Att. XII, 44, 2 —: *quid enim? sedere totos dies in villa!*, pro *villam* scripserunt *villa*, supplendum rati verbum *sedendi*. Aliam ingressus est viam Sch. haud immemor illius Ciceronis, quod est in ep. ad Att. XI, 22, 2, ubi de Caesare Cicero scribit: *itinera enim ita facit, ut multos dies in oppidum* [5]) *ponat.* Qui locus cum sit

[1]) Wesenbergium sequor, qui anno 1885 Lipsiae Ciceronis epistulas edidit.

[2]) Schütz, M. Tulli Ciceronis epistulae, Halae 1809—11.

[3]) Wieland, M. Tullius Ciceros sämtliche Briefe, Zürich 1808—1821. 7 vol.

[4]) Baiter, M. Tullii Ciceronis epistulae, Lipsiae 1867, 2 vol.

[5]) De accusativo *oppidum* iniuria dubitavit Wes., qui *in oppidorum* ponat* scribendum censuit, ita ut exciderit *legationibus* simileve aliquid. [Bootius ex Lamb. coniectura scripsit *in oppidis*]. Bait. suo iure codicum scripturam servavit: nam quamquam sine dubio *ponendi* verbum recte cum ablativo coniungitur, tamen nonnumquam etiam cum accusativo coniunctum videmus,

simillimus illi (Att. XII, 37, 2) superiori, equidem cum codice M *villam* legere et *ponendi* verbum subaudire malim, quam cum Manutio iisque qui hunc secuti sunt, mutata voce *sedendi* verbum.

Sequuntur iam ea exempla, ubi e verbo in prima enuntiationis parte posito subintellegendum est omissum in altera parte. Qui in epistulis eiusmodi sunt loci, paulo acuratius considerantibus dubitationem movent, num idem verbum, quod proxime antecessit, aut simile audiendum sit an verbum *faciendi.* Ac Hofmannus [1]) quidem tale aliquid iudicasse mihi videtur: etenim in ep. ad Cassium data, fam. XII, 2, 3, ad Ciceronis verba: *sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim salvis nobis* haec adnotavit (vol. II, p. 147): *supple,* inquit, *id fiat!* Quibus utitur exemplis, ut se verum iudicasse doceat, eorum altero = ad Att. X. 8, 8: *corruat iste necesse est —; id spero vivis nobis fore* nihil probatur nisi in tali dictione *faciendi* verbum posse poni, alterum, quod repetit ex Cic. Phil. II, 44, 113: *eripiet et extorquebit tibi ista populus Romanus, utinam salvis nobis!* nihilo plus aperit, quid supplendum sit. Equidem persuasum habeo, in eiusmodi enuntiatis, quale est id, quod modo dixi, proprium verbum praeferendum esse *faciendi* verbo [2]), quippe cui notio insit

praecipue, ubi non sua propria vi, sed translate usurpatum est: cf. Reisig-Haase, Vorles. üb. lat. Spr. Wiss. p. 728 adn. 573; Krueger, Lat. Gram. § 382 adn. 5; Kuehner, Lat. Gram. II, 1, 429, apud quem multa huius rei exempla leguntur, velut Att. V, 3, 2: *Apud Lentulum ponam te in gratiam* [sed ceteris locis Cic. semper scripsit *in gratia:* V, 11, 6; VI, 1, 22; 6, 4]. Phil. III, 11, 28: *longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus.* De fin. V, 2, 5: *quocumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus.* Plaut. trin. III, 3, 11 = 739 *vereor, ne istaec pollicitatio Te in crimen populo ponat atque infamiam.* — Quibus ex exemplis, cum appareat, in accusativo *in oppidum* nihil esse suspicionis, sententia illa, quam ex Att. XI, 22, 2 attuli, utemur ad explendam eam, quae exstat in ep. ad Att. XII, 37, 2.

[1]) Hofmann, ausgewählte Briefe Ciceros, Berlin, vol. I, ed. V, 1884; vol. II, ed. II, 1885.

[2]) Cic. in ep. ad D. Brutum data, fam. XI, 21, 4: *Quod mihi praecipis, ut caveam, ne . . . cogar, et sapienter et amicisime praecipis.*

nimis universa. Similia sunt quae exstant Att II, 24, 2: *Introductus Vettius primo negabat, se umquam cum Curione constitisse; neque id sane diu.* — Att. IV, 16, 9: *Nunc te obiurgari patere, si iure.* [1]) Omnibus his locis proprium potius verbum quam *faciendi* subaudiendum mihi videtur. Sed sunt etiam sententiae, ubi ne dubitari quidem potest, solum id verbum, quod proxime praegreditur, omissum esse, velut Att. IV, 7, 1: . . . *homini Graeco qui conturbat et idem putat sibi licere, quod equitibus Romanis: nam Terentius suo iure* (conturbat). *Utendi* verbum neque huic aptum est loco nec Att. XIII, 26, 2: . . . *credibile non est, quantum scribam* [2]), *qui etiam noctibus*; illo *conturbandi*, hoc *scribendi* desideratur verbum. — Att. VI, 3, 6: *Is igitur Gavius, ..., me ita appellavit — Culleolum vix auderem —*, in ipso codice M voci *auderem* superscriptum legimus *supple*: ‚*appellare*‘ [quod Sch. et Wes. scripserunt *ut Cull.*, mihi non probatur].

Restat, ut tertiam quam posui formam, nonnullis comprobem exemplis, quae omnium rarissime legitur: etenim ipsa oratio secum fert, primam enuntiati partem plenam esse, alteram abruptam ex illa suppleri — quod etiam Kuehner [3]) p. 1042 recte monuit. Legitur autem in ep. ad Att. XV, 1a, 1: *Quid mihi iam medico? aut si opus est, tanta inopia est?* — Att. XV, 21, 3: *ego propero, ne ante Sextus, quem adventare aiunt.* — Att. X, 15, 2: *Quod suades, ut palam* (sc. proficiscar), *prorsus assentior itaque me profecturum puto.* — fam. XI, 21, 1 (Cic. ad D. Brut.): *Quid? tu illum tecum solum aut cum Caesare? qui neminem praetermiserit, quicum*

[1]) Plura exempla si requiris, invenies in Cic. ep. ad Att. VII, 17, 3. XII, 38, 2. XVI, 11, 4. ad Q. fr. II, 6, 1. ad Plancum, fam. X, 19, 1. ad Tir., fam. XVI, 12, 2.

[2]) *Die* add. in R. ed. post *scribam* recte Buecheler, Mus. Rhen. XI p. 524 delevit.

[3]) Kuehner, Ausführliche Grammatik der lat. Spr., Hannover, vol. I 1877; vol. II 1879.

loqui potuerit. [1]) — Similiter etiam pronomina possessiva — ut leviter haec tangam — in priore orationis parte desideramus, cum facile ex positis iisdem vel contrariis in altera parte sumi possunt. Exempli causa afferam: Att. X, 8, 9: *Tibi sunt omnia* [*mea* ab uno Wes. male additum est] *commendata, quae commendationis meae pro tuo in nos amore non indigent.* — Att. XV, 29, 2: *Rescripsi ad omnia; nunc nostra accipe*; sic M; sed ex FZ[b] vc Sch., Bait., Wes. inter *omnia* et *nunc* addiderunt *tua* [quod mihi displicet: etenim sic saepius pronomina possessiva omissa esse docent loci: Att. VI, 2, 10: *Εὐήθειαν . . . Rufi cognovi ex epistula* (*tua* Wes., om. MRβh Bait.) *Corcyraea* et Att. X, 1, 1: *A. d. III Non. cum in Laterium fratris venissem, accepi litteras et paulum lectis respiravi*, ubi Wes. in textu scribit *litteras tuas*; sed in adnotatione de pronominis loco adhuc dubitare videtur.] — fam. X, 27, 1 (Cic. ad Lep.): *Quod mihi pro summa erga te benevolentia magnae curae est* . . . . in hanc ab M codice traditam lectionem et ab Ernestio [2]), Schuetzio, Klotzio [3]) servatam, Orellius ante *erga* inserendum *mea* putavit, respiciens illud enuntiatum huic simillimum, quod exstat in Cic. ep. ad Domitium data, fam. VI, 22, 2: *oro obtestorque te pro vetere nostra coniunctione ac necessitudine proque summa mea in te benevolentia et tua in me pari*, quem virum doctum secuti sunt Bait. et Wes. Sed in hac sententia post antecedens pronomen *nostra* necessario *mea* erat addendum propter sequens illud *tua in me pari*, ut hoc *tua* haberet, cui oppositum esset.

Sequitur, ut ad alterum ellipsis genus accedam. Sed priusquam ad hunc usum explanandum nos vertamus, exami-

[1]) Itaque nihil est, cur Att. XIII, 10, 3: *Brutus si quid, curabis, ut sciam; cui quidem quam primum agendum puto, praesertim, si statuit* cum Zl, quem Wes. secutus est, post *quid* addamus *egerit.*

[2]) Ernesti, M. Tullii Ciceronis opera omnia; vol. III, 1 et 2.

[3]) M. Tullii Ciceronis scripta quae mauserunt omnia, vol. III, 1 et 2 Lipsiae 1869--1870.

nemus oportet ellipses quasdam, quarum adhuc nulla est mentio facta: eas dico sententias ellipticas, quas in epistulis Cicero sive ab ipso sive ab aliis in sermone prolatas ad verbum attulit. In colloquio autem omni tempore libenter silentio praetermitti solere, quae facile suppleantur, notissimum est. Sic in ep. ad Att. data II, 12, 2 Cicero sermonem depingit, qui inter sese et Curionem ortus est, cum divulgatum esset, Clodium tribunatum petere: in quo sermone haec sunt: *Publius,* inquit, *tribunatum plebis petit. Quid ais? Et inimicissimus quidem Caesaris et ut omnia, inquit, ista rescindat. Quid Caesar? inquam*; e. q. s. — De se ipso scribit Att. V, 21, 11: *Quid ais, inquam, possumne contra meum edictum?* Praecipue eiusmodi aliquid legitur, ubi contradictiones eorum, ad quos dedit epistulas, a se fictas inducit, velut Att. X, 9, 2: *Dices: Ubi ille ergo tuus animus* [Wes., Z et cod. Mal. sec., scribit: *ubi ergo tuus ille an.*] (sc. est), *quem proximis litteris* (prae te tulisti)? Att. XI, 7, 3: *Dices: Quid illis* (fiet), *si victi erunt?*

Venio iam ad eas illipses, quas quod saepius pari condicione in epistulis repetuntur, constantes vel usitatas dicere nobis licet. Qui ellipsium usus proprius epistularum maxime Ciceronis cum per se dignus est, in quem paulo accuratius inquiramus, tum vel maxime propterea, quia saepe, parum intellecta tali dictione aut ignorata, editores, ubi mira ellipsi verbum omissum est, id praecipue agere videmus, ut, scribae errore vocabulum excidisse rati, quod sibi finxerant mendum tollerent. Quod cum faciebant, in illud maius incidebant, ut lectionem in codicibus ad nostram memoriam bene traditam temere mutarent.

Quo errore ducti qui medio fere aevo Ciceronis epistulas ediderunt adnotationibusque adornaverunt Lambinus [1]) et Bosius [2]), permultis locis M codicis textum corruperunt, eosque

[1]) Lambini ed. a. 1566.

[2]) Bosii ed. a. 1580.

viros doctos, qui novissime Ciceronis epistulas edidit, Wesenbergius secutus est, cum sic persuasum haberet, in exarandis epistulis ad Atticum datis Bosii codices (maximeque ex his Tornaesianum) et veterem codicem Lambini multo plus habere auctoritatis quam Mediceum. Codices vero Mediceos quasi fundamentum esse in iisque teneri totam traditionem epistularum, ceteros vero codices et Bosii et Lambini multis refertos corruptelis et coniecturis secundum tenere locum, recte Fr. Schmidtius [1]) demonstravit compluribusque exemplis comprobavit. De Lambini autem notis, quas hic ex Z codice exprompsisse se fatetur, recte dubitavit, utrum ille suis ipsius oculis eas in codice legerit, an Bosio nimium confisus, quasi suas cum fide dederit [2]). Cratandri quoque coniecturis nimiam auctoritatem Wesenbergium tribuisse, ex Buecheleri [3]) apparet iudicio, qui eodem loco editiones quoque Jensonianam [4]) et Romanam [5]) depravatas esse coniecturis comprobavit.

Quae cum ita sint, ad Medicei codicis normam, quantum fieri potest, omnia dirigemus, cuius lectio nisi apertissimum est, corruptam eam atque vitiatam esse, teneatur necesse est.

Wes. autem, ut iam supra commemoravi, cum ceteros codices Mediceo praeponeret, permultis locis abruptam Ciceronis dictionem sustulit, ratus ea quae in M codice elliptice scripta essent, depravata scribae errore esse, quae autem in Bosii et Lambini libris exstarent plena oratione, veram exhibere traditionem.

Sed ut eo, unde digressus sum, revertar, in tractanda verborum ellipsi sic agam, ut primum demonstrem, quae Ci-

[1]) Fr. Schmidt, Zur Kritik und Erklärung der Briefe Ciceros ad Att., Nürnberg 1879.

[2]) Ante hunc virum doctum iam Detlef Detlefsen de Lambini Tornaesiano dubitavit, Fleck. Jbch. f. Phil., III. Supplbd. p. 111—131.

[3]) Buecheler, in Mus. Rhen. XI, p. 509—535. [ad hunc locum cf p. 525].

[4]) anni 1470.

[5]) anni 1469.

ceronis in epistulis verba sint omissa, deinde in singulis verbis similitudines conferam, denique de iis disputem locis, qui propter verbi omissionem viris doctis suspicionem moverunt. — Sic, opinor, aliquantulum proficiam et in emendando epistularum textu et in sermone melius cognoscendo!

De omisso verbo *esse*.

Sunt verba quaedam, quae in sermone cotidiano tam facile supplentur, ut crebro certis condicionibus omittantur [1]); nam quo maior est vis et sensus cuiusdam verbi, eo minus per ellipsin potest omitti. Itaque saepissime non solum in epistulis, sed ubique verbum *esse* desideratur, praesertim in oratione non tam gravi et diligenter exarata quam simplici, qualis est in epistulis. Sed si inquiramus, quibus maxime condicionibus in Ciceronis epistulis verbum *esse* omissum sit, apte hac utemur dispositione, ut dicamus primum (A) de formis verbi *esse* omissis in enuntiatis principalibus, deinde (B) de iis, quae desiderantur in sententiis secundariis.

A.

Formae verbi *esse* desiderantur in enuntiatis principalibus.

Difficilis sane est et operosa in ea exempla, quae formae *est* ellipsin praebere videntur, inquisitio, num revera omissio constituenda sit, an exciderit verbum sive scribae errore sive quo alio casu. Praeter ceteros Wes. [2]) in emendationum libro (p. 16—18) id studuit, ut demonstraret, plus semel in

[1]) Hand, Lehrbuch des latein. Stils, Jena 1833, p. 428.
[2]) Wesenberg, Emendationes M. Tullii Ciceronis epistularum, Hauniae, 1840; diss. (= em.[1]). Emendationes alterae, Lipsiae 1873 (= em.[2]).

libris formam *est* aut plane excidisse aut corruptam esse. Mira sagacitate vir ille doctus comprobavit, in M codice nonnullis locis *est* a scriba depravatum esse in *et* velut fam. I, 2, 3 (p. 16); Att. I, 4, 3 (p. 18); XIV, 3, 1 [ubi alii, ut tollerent difficultatem, scripserunt *sed*, Kl. *etsi*]; aliis *est (st)* atque *et* inter se confundi, velut fam. VII, 12, 2; 17, 1. Att. II, 6, 2; aliis pro *est* in mss *sed* scriptum esse, velut fam. IIX, 3, 1. Quibus exemplis Buech., l. l. p. 528—529, nonnulla addidit, e quibus apparet, *est* etiam in *sit* depravatum esse in mss, velut Att. III, 23, 3: *hoc, quod re vera ita est* [*sit* M], *cum semper ita habitum observatumque sit* . . . quem locum alii aliter sanandum censuerunt. —

In afferendis iis exemplis, in quibus verbi *esse* formas quasdam omissas videmus, eam apte sequemur rationem, quam grammatici constituerunt. Accuratissime autem Kue. l. l. II, p. 7—10, de hoc usu disputavit, qui quinque formarum verbi *esse* ellipsis genera constituit, primum ubi desideratur in brevi iudicio, deinde in brevi sententia a reliquis diiuncta, qua, quae ad vitam bene instituendam opus sunt, praecipiuntur; tum in descriptione, cum breviter res depinguntur, denique in transitione [1]), ubi celeriter ad novam rem transit oratio, postremo in conclusione. Similiter Madvigius [2]) § 479 et Ramshornius [3]), quatenus hic ellipsis usus apparet in sententiis principalibus, iudicaverunt. — Quae omissi verbi *esse* genera cum iam in ceteris libris saepe exstare videmus tum vel maxime in epistulis, quarum dictionem minus severam et minus certis regulis conclusam esse supra demonstravimus. Itaque mirum non est, in his saepius ellipses inveniri, quae, quia praeter consuetudinem usurpatae sunt, ob

[1]) Kue., quod huic parti illam adiunxit, ubi verbum in interrogatione rhetorica desideratur, non probo; aptius hanc partem cum illis coniungi exemplis credo, ubi in brevi iudicio verbum omissum est.
[2]) Madvig, Lat. Sprachlehre, 1877[3].
[3]) Ramshorn, Lat. Grammatik; Leipzig 1830. — cf. etiam M. Seyffert, Palaestra Ciceroniana, Brandenburg, 1852, ed. III. p. 17 sq.

hanc causam viris doctis in suspicionem venerunt; de his singulis locis disputandum erit, utrum verbi omissio ferenda sit necne.

I. In brevi iudicio,

ubi desiderantur formae imprimis *est* et *sunt*, exempla extant plurima. Quae si in certos ordines redigamus, prima erit pars eorum, in quibus verbum deest, cum de re proxime antecedente, quid iudicet is qui scribit, paucis verbis significat. Eius modi fere sunt, quae leguntur Att. II, 19, 5: *Caesar me sibi vult esse legatum: honestior declinatio haec periculi.* — Att. XII, 38, 1: *Non dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum; sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit.* . . . . — Att. XIV, 12, 2: *Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne . . . aquiescere liceret; sed hoc meae nimiae facilitatis.* Att. XVI, 8, 1: *Veteranos . . . . perduxit ad suam sententiam; nec mirum,* et sic saepissime, non solum in epistulis [velut fam. V, 13, 3 (Cic. ad Lucc.), X, 12, 1 (Cic. ad Planc.) *minime novum,* XVI, 15, 2 (Cic. ad Tir.) *nec mirum,* XVI, 21, 2 (Cic. f. ad Tir.) *nec id mirum.* [1])] sed etiam in ceteris libris. — fam. II, 17, 1. *Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto; neque id tamen certum.* In eiusdem epistulae Cic. ad Cn. Sall. datae paragrapho septima exstat: *illud vero pusilli animi et ipsa malevolentia ieiuni atque inanis, quod* . . . . fam. XII, 10, 1, (Cic. ad Cass.): *Lepidus . . . . hostis a senatu iudicatus est . . . . . . ; fortis sane senatus, sed maxime spe subsidii tui.*

[1]) Brut. I, 2, 1 legimus: *Scripta . . . . epistula litterae mihi redditae sunt a te plenae rerum novarum; maximeque mirabile, Dolabellam quinque cohortes misisse in Chersonesum.* sic vulgo legitur; sed k, Oreilio auct., add. *est;* antea iam Ern. duriorem omissionem ratus, *mirabilium* scripsit. Bait. et Wes. *est* omiserunt; sed hic in adn. posito interrogationis signo. — Sed nihil est, cur *est* inseramus; nam initio et media vel extrema epistula a Cicerone, cum alteri respondet epistulae, saepe verbum omitti, postea demonstrabo.

Ex infinita exemplorum copia haec pauca attulisse satis est; restant tamen nonnulla, in quibus omissionem copulae viri docti ferendam non esse putaverunt. Huc spectat, quod legitur Att. IIX, 3, 7, ubi manus prior codicis M haec exhibet: *sed turpe Domitium deserit implorantem eius auxilium;* pro *deserit* manus altera legit: *deserere erit,* quam lectionem Ern., Sch., Hof., Wes. secuti sunt; Or., Bait., Bootius [1]) ex M[1] scripserunt *deseri,* omisso *erit.* Ex codicis M m 1 et m 2 primum id apparere mihi videtur, copulam *erit* scribendam esse; incertum est, utrum m 2 secuti *deserere* in textum recipiamus, an ex *deserit* manus prioris sumamus *deseri:* alterius manus lectionem si tenebimus, Viertelium [2]) habemus auctorem, qui probavit, eis emendationibus, quae a manu altera additae essent, gravissimam deberi auctoritatem. Sed fortasse rectius ex pr. m. *deserit* coniectura efficiemus *deseri erit,* quod propius ad *deserit* accedit quam *deserere erit.* — Dixerit quispiam, recte hoc loco uti nobis licere coniectura illa, quam Buech. l. l. p. 513—514 in medium protulit, in M codice interdum syllabarum duarum concinentium alteram tantum scriptam esse et grandioribus quidem litteris. Qua coniectura satis splendida deceptum primo me fateor putavisse, [3]) locos quosdam in M codice male traditos sanari posse; velut illum ipsum, de quo modo dixi [desERIt, h. e. desERI ERIt.]; tum autem, cum paulo accuratius in hanc rem inquisivissem, vix veri simile mihi visum est, scribas, si breviter scripturi erant, [4]) tali usos esse ratione ‚brachygraphias'; quo factum est, ut relicta Buecheleri coniectura id tantum constare crederem, scribarum neglegentia [5]) accidisse, ut ibi, ubi syllabae

[1]) I. C. G. Boot, Ciceronis epistulae ad T. Pomponium Atticum; ed. alt., Amsterdam 1886.

[2]) A. Viertel, Neue Jahrbücher für Philol. 1880, p. 245.

[3]) Qua usus est coniectura etiam Krauss, M. Tullii Ciceronis epistularum emendationes, Lipsiae, 1869 in emendanda ep. ad fam. VI, 5, 3.

[4]) cf. M. Haupt, qui in Herma V p. 159—160 de hac re disputavit.

[5]) Eiusmodi multa in epistulis exstant exempla, velut: Att. IV, 16, 5:

concinentes conveniebant, alteram ab altera corriperetur. Att. X, 14, 3 in M cod. legitur: *Distulimus omnino sermonem in posterum*; *sed tardus ad exeundum* [de Servio scribit Cic.]. *multo se in suo lectulo malle, quidquid foret!* sic Ern. quoque et Sch.; *tardus est* Lamb., Or., Bait. scripserunt, *est tardus* Kl., *erat tardus* Wes. et Bo. Sed a codicis M scriptura omnino non recedendum est: etenim dictio huius paragraphi admodum est contracta, quod vel inde apparet, non hoc unum sed plura Ciceronem in ea verba supplenda reliquisse: velut dicendi, exspectandi, respondendi. Itaque et hoc loco [1]) Lambini repudiabimus coniecturam, neque sequemur ea, quae idem vir doctus Att. XIII, 26, 2 in editione sua (quod idem legitur in ed. Rom., Ascensciana, Cratandrina) proposuit: *Equidem credibile non est, quantum scribam*[2]), *qui etiam noctibus*; *nihil enim somni est*; *est* enim, vulgo omissum, non desideratur. — Att. VII, 13a, 1 in editionibus secundum Tornaesianum ex Lambini et ex Bosii testimonio sic legitur: *quorum dux quam ἀστρατήγητος, tu quoque animadvertis, cui ne Picena quidem nota fuerint*; *quam autem sine consilio, res testis* [in M cod. erat *res stet.*]. Iniuria in adnotatione ad h. l. unus Wes. dubitat, scribendumne sit *testis est*: quo artior oratio est, eo maiorem habet vim et gravitatem! [3]) Contra

Nunc ad ea, quae (om. M.) quaeris de C. Catone. Att. VI, 3, 10: *Litteras mitte quam primum: si nihil* (om. M; add. iam Bosius), *nihil fieri.* Att. XIII, 47b, 1: *Sed tamen malui venire frustra, quam desiderari, si opus esset, et moleste ferre postea* (*et* om. M; recte add. Wes.; om. B, qui *ferrem* coniecit!). fam. XIV, 14, 1 (Cic. ad Ter.): *Si ille Romam modeste est venturus* . . . (sic *est*, quod om. M, ponendum puto contra Bait. et. Wes., qui post *venturus* add.). Att. III, 19, 1: *vel, . . ., abiecero. Ero* (om. M, sed necessario add. est!) *cum paucis; multitudinem dimittam.*

[1]) Sententia sic intellegenda mihi videtur: *sed tardus ad exeundum* [dixit], *se malle* . . . .

[2]) cf. p. 6, adn. 2.

[3]) cf. Plew, de ellipsi verbi copulativi *esse* apud poetas latinos, Progr., Tilsit, 1877, qui sub no. II demonstravit, interdum substantiva quaedam, abstracta et concreta, verbo copulativo apud poetas carere.

Att. II, 18, 1 haud scio an recte copula a viris doctis addita sit in sententia, quae in M. codice sic legitur: *atque hic status, qui una voce omnium gemitur, neque verbo cuiusquam sublevatur*: verbum *est* ante *status* fortasse scribae errore omissum est. Nam quod olim putabam, sanari posse hunc locum, si *neque* aeque dictum esset atque *ne — quidem* [cf. Krueger, Grammat. der lat. Spr., Hannover 1842, § 534, adn. 3; Kue., Gram. der lat. Spr. II, 2, p. 660—661; Haase in Reisigs Vorles. üb. lat. Sprachwiss. adn. 417.], fateor me nunc aliter sentire, postquam Madvigii disputationem [Cic. de fin., ed. alt., Hauniae, 1869, p. 802 sq.] legi, qua probavit, negandum omnino Ciceronis aetate talem usum esse.

Att. XV, 13, 5 si codex M exhibet: *Dolabella vir optimus. Sed si cum*[1]) *scribebam . . . . venisse eum . . . audiebam, tamen . . . scripsit* . . . cum Ern., Sch., Wes. pro corrupto *sed si* recte scribemus *etsi*; sed cur Or. et Bait. *est* post *optimus* addiderint, ignoro: omissa enim copula, iudicium iam ipsa brevitate grave multo fit gravius. Simillimum huic loco est, quod exstat Att. XV, 2, 3: *Saserna collega dignus;* Att. II, 20, 6: *A Vibio libros accepi*; *poeta ineptus* . . . quo loco unus Wes. in adnotatione dubitat, num *est* addendum sit. — Quod idem vir doctus em.[1] p. 18, Att. XII, 7, 1 scribendum putavit: *magna res est*; *simplex est manere, illud anceps*, valde placet: nam *et* post *res*, quod in M codice legitur, nihil habet, cui respondeat. Sed quod Att. XIII, 41, 2: *Sed coram! magna enim res et multae cautionis* inter voces *res* atque *et* addidit *est*, fortasse verum non vidit; nam quamquam negari nullo modo potest, plurima in epistulis exstare exempla, in tali oratione Ciceronem copulam posuisse[2]) tamen persuasum habeo, hoc loco solum codicem M verum

[1]) Wes. male *haec cum scribebam;* cf. Lehmann, quaestiones Tullianae, Lipsiae 1866, p. 13 sq.

[2]) Exemplis a Wesenbergio l. l. congestis haec fere addere mihi liceat: Att. IV, 16, 4 *etenim est luculenta res;* Att. XV, 26, 4: *parva res est;* Att. XV, I10, 2: *magna enim res est.*

servasse: totius enim epistulae dictio tam est elliptica, ut nulla fere in ea sit sententia, in qua non vocabulum desideretur; huic autem abrupto dicendi generi aptissimus videtur sermo ille alienus a consueto usu: *magna enim res et multae cautionis!* — Contra Wesenbergio assentior, qui Att. I, 4, 3 sic scripsit: *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est: est* [cod. M. *et* scribae errore.] *ornamentum Academiae proprium meae.*[cf. Wes. em.[1] p. 18 extr.] Att. XII, 6, 3 in enuntiato: *mihi quidem gratum! et erit gratius, si . . . . reposueris* iniuria a Wesenbergio, l. l. p. 17 adn., *est* ante *et* additum mihi videtur: nihil est enim usitatius elliptica dictione in hoc orationis genere: et certe in epistulis pauca sunt exempla, ubi copula a Cicerone addita sit; sed, quod Wes. monuit, propter praesentis et futuri temporis oppositionem *est* addi necesse esse, ex ipsa oppositione praesens tempus ex sequente futuro sumi poterat, sicut Att. VII, 21, 3 *Ego quid agam? Σκέμμα magnum* (sc. est), *neque mehercule mihi quidem ullum* (esset) [1]), *nisi omnia acta essent turpissime neque ego ullius consilii particeps* (essem) ex posito *essent* antecedenti enuntiato tertiam personam singularis (esset) supplere debemus, et sententiae sequenti primam personam (essem). — Neque probaverim, quod Att. XVI, 14, 2: *alia enim eorum ratio, et si non est, tamen videtur* idem vir doctus *est* post *ratio* in textum recepit: sic enim sibi persuasit, propter contrarium *non est* addendum esse in priore parte *est*. Sed breve illud iudicium, quod edidit Cicero, multo gravius est omissa copula *est* quam addita. Ut exemplum similis orationis afferam, legitur Att. XV, 1a, 1: *Quid mihi iam medico* (sc. opus est)? *aut si opus est, tanta inopia est?*

Brut. I, 3, 1: *Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis: utinam tam facile eum florentum . . . regere . . . possimus*

---

[1]) Neque quisquam hoc loco umquam offendit nisi unus Bo., qui in adnotatione ad. h. l. post *ullum* intercidisse censuit *esset*.

num recte Bait. secutus Buecheleri coniecturam, quam is l. l. p. 528 in medium protulit, post *virtutis* ex codicis M[1] *et* addiderit *est*, adhuc vehementer dubito: illud enim *et* a manu priore positum, et a manu altera et vulgo omissum est.

Deinde graeco quoque sermone interdum Ciceronem usum esse videmus, ut quam brevissime, quid qua de re sentiret, patefaceret. Att. VII, 21, 3 scripsit: *Ego quid agam? Σκέμμα magnum! neque mehercule e. q. s.* — Att. XII, 12, 2: *ad antiquos igitur: ἀνεμέσητον γάρ.* — Att. XIV, 3, 1: . . . *structores nostri . . . rumorem afferunt, . . . ad Antonium frumentum omne portari: πανικὸν certe, scripsisses enim.* [1]) — Similia leguntur Att. XIV, 5, 1. XV, 1a, 3 et sic saepissime.

Tum eorum locorum necesse est mentionem faciamus, qui quoniam cum vi quadam atque gravitate a Cicerone prolati sunt, copula carent; huc spectant primum eae interrogationes, quae a grammaticis rhetoricae vocantur; in quibus libenter a scriptoribus formam *est* omissam esse notissimum est. Exempla si requiris, plurima in Ciceronis epistulis exstant: velut Att. IV, 6, 1; XII, 38, 2; XIV, 6, 2; XV, 29, 1. Q. fr. II, 8, 1. fam. IX, 21, 3; X, 25, 2; XI, 21, 2; XII, 30, 1.[2])

Deinde ii sunt enumerandi loci, ubi *nihil* coniunctum est cum comparativo: eiusmodi aliquid, ubi in epistulis legitur, idem fere sonat quod superlativus affirmative positus; quod recte monuit Leh., q. T. p. 29—30. Cuius dictionis et plenae orationis exempla exstant et contractae: sed illa pauca inveniuntur, si cum iis comparas, in quibus verbum substantivum desideratur. Plena est oratio Att. II, 19, 4; fam. XII, 10, 3; XIII, 1,5 nonnullisque aliis locis; deest copula in his fere: Att. I, 14,5. II, 25, 2. IV, 8 a 1; 16, 8. V,

---

[1]) Quae proxime sequuntur: *Corumbus Balbi nullus adhuc* (sc. venit); *est mihi notum nomen,* sagaciter Wes. em.[1] p. 18 restituit ex M codicis scriptura vitiata.

[2]) Neque aliter dictum est, quod legitur Att. V, 12, 1: *Jam nosti aphracta Rhodiorum; nihil quod minus fluctum ferre possit.*

15, 1. XII, 9. XIV, 1,1 [in oratione obliqua.]; 6,2. Brut. I, 14, 1. Q. fr. II, 5, 2. III, 1, 15; 2, 2. fam. IV, 4, 2 [in sententia relativa]. IX, 14, 7. XII, 4, 1. — Similiter Att. XIV, 6, 2 pro superlativo positivus adverbio *tam* auctus cum *nihil* coniunctus est: *nihil enim tam σόλοικον, quam* . . . Att. IV, 15, 6: *ne diutius pendeas, palmam tulit, sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam* . . . .: *verum haec tu tecum habeto!*

Tali in iudicio plerumque addita est sive persona sive res, de qua a Cicerone iudicatur, interdum omissa est, id quod ibi solet fieri, ubi oratio, quia vehementer perturbatus et commotus in scribendis litteris Cicero fuit, celeriter progreditur. Quo dicendi genere, quod saepissime in epistulis ad Atticum datis, minus saepe in epistulis ad familiares, raro in reliquis libris reperitur, tamen nonnumquam in libris, qui ad philosophiam spectant, usum esse Ciceronem, Leh. l. l. monuit.[1])

Denique iam eum copulae ellipsis usum consideremus, qui proprius epistularum in Ciceronis maxime litteris exstat: etenim fere semper, ubi in epistula mentio fit sive ipsius sive amici cuiusdam prioris epistulae, si res postulat, ut, quid ipse sentiat, aperiat, brevissime Cicero, sive re vel persona paucis verbis significata sive alterius verbis obiter repetitis iudicium ponere solet, aut adverbiis *bene, optime, recte* similibusque usus vocabulis, aut contracta sententia, quid existimet, afferens. Quae breviloquentia nihil habet miri: nam is, ad quem Cicero tales litteras dabat, haud erat nescius, quid ille, quamvis breviter rem significaret, vellet. Itaque eiusmodi aliquid imprimis in iis legitur epistulis, quibus alterius epistulae ad se datae respondet.

Sed ut paulo accuratius in hunc ellipsis usum inqui-

[1]) Idem quod l. l. p. 30-31 in ep. ad Att. VI, 3, 9: *Hunc* (i. e. Hortensii fil.) *ego patris causa vocavi ad cenam, quo die venit, et eiusdem patris causa nihil amplius* putavit *nihil amplius* sic intellegendum esse, quasi dixisset Cic.: *eiusdemque patris c. cena amplissima fuit*, haud displicet.

ramus, cum de universa epistula quid sentiat, ad amicum scribit, tali fere usus est dictione: Att. XIV, 3, 1: *Tranquillae tuae quidem litterae.* — IIX, 2, 1: *Mihi vero omnia grata, et quod scripsisti ad me et quod non credidisti* . . . — Brut. I, 14, 1 (Cic. ad Brut.): *Breves litterae tuae! breves dico? immo nullae!* Ubi singulis rebus rescribit, aut brevissima sententia iudicium facit [velut Att. X, 15, 4: *Axius de duodecim milibus pudens.* — XIV, 20, 2: *Audi igitur ad omnes: Primum quae de re mea gesta*[1]) *et in solutione et in Albano negotio* (sc. egisti), *grata.* — Q. fr. III, 1, 12; *Venio ad tertiam: Balbum quod ais* . . . . *venturum* . . . . *id mihi pergratum perque iucundum.*[2]) — De Att. XIV, 8, 1: *Reginae fuga mihi non molesta* (sine *est* M[1]; add. *est* M[2]); *sed Clodia quid egerit, scribas ad me velim* Wesenbergio non assentior, qui ex M[2] scripsisse se (em.[1] p. 96-97) dicit: *non molestast; Clodia* . . . quod in eiusmodi ad aliam rem transitu *sed* vitiosum esset, asyndeton usitatum! Quod quamquam negari nullo modo potest, tamen adhuc incertus sum, num recte Wes. *sed* deleverit: primum, quia etiam M[2] *sed* servavit (cf. Baiteri adnotationem ad h. l.), tum vel maxime, quod propter oppositionem suo iure a Cicerone positum puto: *reginam*, i. e. Cleopatram, *sese non curare: sed quid Clodia, inimicissimi P. Clodii soror, fecerit, id maxime scire se velle. Est* autem num a Wesenbergio et Baitero recte additum sit, equidem haud diiudicaverim.], aut in causali enuntiato, qua de re agatur, explicat, velut Att. VI, 1, 13: *Hortensio quod causam meam commendas, valde gratum*[3]). Att. XII, 37, 1:

[1]) Bo. suspicatus est, in archetypo fuisse *gesti*, h. e. *gessisti*: qua in re errasse vir ille doctus mihi videtur: nam saepius sic *agendi* verbum desiderari, postea demonstrabo.

[2]) De Brut. I, 2, 1 cf., quae supra, p. 12 n. 1, adnotavi.

[3]) Licet nobis aut verbi *esse* aut *faciendi* formas supplere: cf. C. F. W. Müller, qui in Philologo IX, p. 626 monuit, in tali locutione *bene, optime est* aeque dici atque *bene a te fit* vel *bene facis.* Etiam *dicendi* et *scribendi* verba interdum recte subaudimus, velut Att. XIII, 40, 1: *Illud optime* (sc.

Quod mihi Bruti litteras, gratum. Att. XV, 29, 1: *Quod cum Cosiano egisti, optime. Quod non solum mea, verum etiam tua causa* (Bait. coniec.) *me expedis, gratum.* Plurima denique sunt etiam haec exempla: Att. X, 13, 2: *de Tirone gratum!* Att. XIII, 22, 4: *De Bruto nostro perodiosum.* Att. IV, 15, 1: *De Eutychide gratum.*

Restat, ut dicam de omissis formis *sum* et *es*, quae multo rarius silentio praetereuntur, quam *est, erit, sunt*[1]. Reisigius[2]) p. 799 recte monuit, imprimis apud poetas hunc ellipsis usum exstare; sic legimus Verg. Aen. I, 617: *Tune ille Aeneas, quem . . . Anchisae . . . Venus . . . genuit.* III, 45: *Nam Polydorus ego.* Plaut. Amph. 964: *Equidem serio ac vero ratus.* — Ex Ciceronis epp. haec fere collegi: Att. IV, 15,6: *Sed hoc ne curaris: ego ineptus, qui scripserim.* — Att. IX, 1,4: *Ego unus, cui utrumvis licet.* — Att. XVI, 5,5: *Et ais, μετ' ἀμύμονα. Tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος.* — Eorum quae attuli exemplorum et Plauti et Vergilii et Ciceronis hoc est proprium, in sententia, cui copula deest, additum esse pronomen personale, ita ut facile intellegatur, quaenam verbi *esse* forma subaudienda sit. Itaque suo iure Bait. et Wes.[3]) Att. XV, 26,5: *Mundus iste cum M. Ennio quid egerit de testamento — curiosus enim — facias me velim certiorem!* addidisse *sum* mihi videntur [quod Or., Ern., Sch. suspicati sunt *es*, mihi non probatur]. Nec minus recte a Wesenbergio em.¹, p. 17 n., fam. IX, 11,2 (Cic. ad Dol.): *nam et celeriter una futuros nos arbitror et nondum satis confirmatus ad scribendum* verbum *sum* ab M cod. omissum inter *nondum* et *satis* insertum est, ubi facile excidere poterat. — Contra displicet, Lambino auctore Orellium,

scripsisti): *Sed ne is quidem, qui omnium* e. q. s. — Quibus de verbis crebro omissis postea dicam.

[1]) cf. Kue. II, 1, p. 9.

[2]) Reisig, Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft, ed. Haase, Leipzig 1839.

[3]) em.¹ p. 46.

Baiterum, Bootium, Wesenbergium Att. XII, 6,2: *Sed longa oratio est et tu occupatus in meo*[1]) *fortasse aliquo negotio* post *occupatus* addidisse *es*. Equidem propter pronomen personale *tu* cum Ernestio et Schuetzio M codicem sequi malim, in quo *es* omissum est.

Adhuc de praesentis temporis et futuri formis verbi *esse* omissis verba fecimus: reliquum iam est, ut de eo usu disputemus, ubi in sententia principali in gerundio et gerundivo et in participio verbum substantivum desideratur.

Ac primum quidem in gerundivo saepius copulam omitti notissimum est: cf. Kue. l. l. II, 1, p. 8 adn. 1. Exempli causa ex epistulis afferam: Att. IX, 15,4: *omnia nobis imparatis agenda!* — Att. XII, 43,1: *Sed ferendus tibi in hoc meus error! ferendus? immo vero etiam adiuvandus!* — Att. XIII, 10,1: *omnia igitur metuenda!* — Att. XIV, 22,2: *φαινοπροσωπητέον ergo et ἰτέον in castra*[2]). — Att. X, 4,6 in M codice et ab Ernestio, Schuetzio, Klotzio sic legitur: *patris autem lenitas amanda potius ab illo, quam tam crudeliter neglegenda.* Or. suspicatus est, scribendum esse *crudeliter erat neglegenda*, quam coniecturam Bait. et Bo. secuti sunt. Equidem non probo, quod vv. dd. ab M. codicis auctoritate recedere maluere; nam proxime antecedit *fuit*, ex quo facile *erat* sumi potest; quamobrem suo iure Wes. de hac viri docti coniectura dubitavit.

In participio perfecti temporis plus semel verbum substantivum omitti solere non in epistulis solum, sed etiam in ceteris et Ciceronis et aliorum scriptorum libris, notissimum est. — Ut supra (p. 19) vidimus, copulam deesse, cum de tota epistula, quid sentiat, Cicero rescribit, sic eadem in condicione formae *est* et *sunt* desiderantur in participio perfecti verbi *scribendi*, velut Att. XII, 14,4: *De Bruti ad me litteris scripsi ad te antea: prudenter scriptae.* Att. XV, 16a:

[1]) Bait. *quidem* a Bosio post *meo* insertum omisit.

[2]) Quam copulac omissionem saepius apud scriptores Graecos legi docuit Kue., l. l. II, 1 p. 9, et Ausführliche Gram. der griech. Spr. II, §,354, b, p. 36.

Tandem a Cicerone tabellarius, et mehercule litterae πεπινωμένως scriptae. — Att. XV, 17, 2: *et mehercule ipsius litterae sic et φιλοστόργως et πεπινωμένως scriptae, ut* . . . — Att. XIV, 2, 2: *Duas a te accepi epistulas heri. Ex priore . . . cognovi . . . Altera epistula de Madaro scripta, apud quem nullum φαλάκρωμα, ut putas.*

Sed multi sunt loci, qui viris doctis in suspicionem venerunt; quorum nonnulli iniuria temptati mihi videntur. Atque huc referenda praecipue puto, quae leguntur Att. VII, 17, 4, si comparantur cum XII, 29, 2: etenim, quod illo loco est: *tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex invidis civibus*, est exclamatio Ciceronis, quam facit vehementissime rei publicae statu commotus, quae multo plus habet auctoritatis et gravitatis omisso verbo substantivo quam addito. Quamobrem Orellio, Baitero, Wesenbergio non assentior, qui ex Tornaesiano (i. e. Lambinum Bosiumque secuti) post *excitatum* in textum *est* receperunt. Atque non sine causa h. l. a codicis M scriptura recedere me noluisse, fortasse apparebit ex altero loco, quem supra dixi: Att. XII, 29, 2: *totum enim illud desperatum!* ubi nemo copulam addi voluit, quamquam in duobus codicibus, h et β, inter *illud* atque *desperatum* verbum substantivum *est* exstat. — Similiter in affectu scriptum est, quod legitur in ep. ad. Att. XIV, 10, 1: *Meministine te clamare, causam perisse, si funere elatus esset* (sc. Caesar)? *At ille etiam in foro combustus laudatusque miserabiliter, servique et egentes in tecta nostra cum facibus immissi,* quo loco unus Bait. in adn. crit. post *combustus* addi voluit *est*. De fam. IIX, 4, 4 (Cael. ad Cic.), qui locus valde corruptus ad nostram memoriam pervenit, viri docti non consentiunt: exhibet autem codex M haec: *Cum Pompeius esse in Gallia, coactus est dicere Pompeius, se legionem abducturum, ... inde interrogatus de successione C. Caesaris, de qua . . . placitum est, ut quam primum reverteretur . . . Pompeius.* Qua in sententia, cuius exordium nemo adhuc emendare potuit, tantum constare mihi videtur, inde a verbis *coactus*

est sententiam principalem incipere, quod satis apparet ex sequente *inde interrogatus*; cui verbo utrum copula addenda sit necne, alii aliter censuerunt: Bait., et antea Or., cum Lambino *interr. est* scripserunt, quos secutus est Burgius[1]) p. 39. Wes. in em.[1] p. 16 *est* inserendum ratus, in editione nunc codicis M lectionem servat, qua in re ei plane assentior; nam, quamquam certi quicquam statui posse mihi non videtur, tamen credo, in oratione minime perpolita, qualis est Caelii oratio in epistulis, facile ex antecedenti *coactus est* copulam suppleri posse; neque in quinta huius epistulae paragrapho quicquam mutaverim, ubi codices haec exhibent: *praeterea nuntiatum nobis et pro certo iam habetur* . . .; in editionibus *est* additum videmus.

Venio nunc ad eum ellipsis usum, qui apparet

II. In sententiis et proverbiis.

Atque in his praecipue copulam saepe deesse, nemini mirum esse potest; etenim quae in proverbio aut in sententia proferuntur, eorum vis et notio tam est perspicua, ut verbo facile careamus. Itaque hic ellipsis usus latissime patet et apud Ciceronem et apud ceteros scriptores. In epistulis vero, quarum maxima pars eo consilio data est, *ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat*[2]), minus saepe quam in philosophicis libris eiusmodi sententiae occurrunt: ubi autem res tractat Cicero, quae universe ad multos pertinent, non ad unum solum, statim leguntur, velut ad Att. XII, 10, ubi Atticum de Athamantis morte consolatur: *consolationum autem multae viae, sed illa rectissima*; et sequente epistula: *Male de Seio! sed omnia humana tolerabilia ducenda!*

Sed singula enumerare exempla huius ellipsis usus opus non est, praesertim cum nulla fere exstent, in quibus omissa

[1]) Burg, de Marci Caelii Rufi genere dicendi, diss. Lipsiae, 1888.
[2]) cf. Q. fr. I, 1, 13, 37.

copula suspicionem viris doctis moverit. De formis verbi *esse* in proverbio desideratis, disputabo postea.

Jam dicendum mihi est de iis locis, ubi

III. In descriptionibus

in sententia principali verbum *esse* desideratur. Constat, rerum scriptores Romanos, cum aut mores alicuius [1]) aut rei publicae statum aut regionis cuiusdam naturam uberius depingebant, sive breviloquentiae causa, sive maioris gravitatis causa, sive quod idem verbum toties iterari nolebant, cum alia omisisse verba, tum vel maxime verbum *esse*: atque eiusmodi aliquid in Ciceronis epistulis saepissime exstat. Sed cum singula exempla ad verbum describere longum esset, satis habebo, enumerare, quibus locis talia exstent [comprehensis iis exemplis, ubi verbum substantivum in participio perfecti temporis deest]: Att. I, 13, 2; 14, 5; 18, 3. II, 3, 3. IV, 3, 3; 3, 4; 15, 6; 17, 3; V, 20, 5. VI, 2, 5; 3, 3. VII, 13a, 2. XI, 9, 1. XII, 2, 2. XIII, 52, 1; 52, 2. XVI, 6, 1. — Brut. I, 15, 4. — Q. fr. II, 3, 2: 11, 2. III, 3, 3; 7, 1; 8, 4. — fam. II, 10, 3 (Cic. ad Cael.). X, 12, 3 (Cic. ad Planc.). XII, 5, 3 (Cic. ad Cass.); 25, 1 (Cic. ad Cornif.). XIII, 50, 1 (Cic. ad Acil.). XV, 17, 3 (Cic. ad Cass.).

IV. In transitione,

cum breviter ad novam rem in oratione transitur, saepius verbum esse desideramus; idque praecipue in iis epistulis, quarum dictio admodum contracta est. Ex magna exemplorum copia haec fere afferam: Att. VI, 3, 3: *Hoc est igitur eiusmodi. Reliqua plena adhuc et laudis et gratiae, digna iis libris, quos tu dilaudas.* — Att. VII, 1, 9: *Atque haec de rebus forensibus. Redeamus domum.* — IX, 1, 1: *Sed haec fortasse κενόσπουδα sunt, ..., illud molestum, me . . . . .* — Att. XVI, 7 Cicero Attici epistulae rescribens sic loquitur:

[1]) Naegelsbach, Lat. Statistik, § 183, 2, Ib.

§ 3: *Graviora, quae restant*; § 4: *Deinceps igitur haec*; § 5: *Extremum illud vel molestissimum.* — Brut. I, 15, 12: *Sed haec quidem non ita necessaria; illud valde necessarium . . . .* — fam. XII, 2, 2 (Cic. ad Cass.): *Sed haec tolerabilia; illud non ferendum.* — Fortasse recte huc referemus, quod est in Caelii epistula ad Cic. data — fam. IIX, 11, 3 —: *Scena totius rei haec;* quibus verbis Caelius utitur, cum parat Ciceronem certiorem facere de Pompeii consiliis. — Att. XV, 26, 2, qui locus in M codice valde corruptus est, cum Bosii Tornaesiano et ceteris codicibus legendum puto: *Sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistulae est illa quidem in utramque.* [1])

Sed alia quoque verba in transitione Cicero interdum omisit velut *scribendi* et *dicendi*, de quibus postea verba faciam.

V. In conclusione

verbum *esse* a Cicerone silentio praetermitti, ex philosophicis Tullii scriptis constat, in quibus hic ellipsis usus plus semel apparet: exempli causa afferam de fin. I, 18, 61: *Igitur neque stultorum quisquam beatus neque sapientium non beatus.* IV, 19, 55: *si illud, hoc; non autem hoc: igitur ne illud quidem*; similia sunt, quae leguntur nat. deor. I, 24, 68 et Tusc. I, 5, 9. — In epistulis haec fere scripta inveni: Att. VII, 11, 1: *Atque haec ait omnia facere se dignitatis causa: ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio?* — Brut. I, 12, 2: . . . *itaque Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum*

[1]) Quod Wes. em.[1] p. 18 scribendum putavit Q. fr. III, 2, 3: *Habes forensia: domi recte est; ipsa domus a redemptoribus tractatur non indiligenter* (quam coniect. sec. sunt Bait. et Wes.), duabus de causis displicet: nam et perspicuum est, Ciceronem in hac extrema epistula vehementer properare ideoque paucis verbis nuntiare *et domi recte esse et domum ipsam non indiligenter curari*, et sententiae *Domi recte est* atque *Ipsa domus . . . tractatur* sine copula, *ἀσυνδέτως* positae in fine litterarum valde frigent. [cf. p. 29 de *recte est*.]

hostem indicat. — De hac ellipsis usu cf. Kuehneri ad Tusc. I, 5, 9 adn. et Naegelsbach, l. l. 2, I, b med.

VI. In interrogationibus denique in epistulis copulam deesse videmus, ubi acri et fervida, qui scribit, oratione utitur. Huius ellipsis usus plurima sunt exempla, e quibus haec afferre mihi liceat: Att. I, 18, 5: *Auli autem filius . . . quam ignavus ac sine animo miles? quam dignus, qui . . .?* Att. IV, 17, 3: *Verumtamen, quid tam ridiculum?* — Att. XII, 5, 1: *Quod autem os, in hanc rem ἔρανον a te?* — Att. XIV, 9, 1. 12, 1. 14, 1. 19, 1. XV, 21, 3; 29, 1. XVI, 5,4. Brut. I, 16, 4 (Brut. ad Cic.): *Quod autem tibi cum Antonio privatim odium?* — Q. fr. III, 8, 4: *O di! quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali!* — Att. XII, 40, 2: *Quis a me exclusus*[1]). Wes. male *est* addendum censuit; sed displicet: etenim efficacior est oratio elliptico dicendi genere.

Fortasse huius loci est paucis verbis commemorare, quam secuti sint rationem scriptores, cum eiusmodi interrogationibus respondebant. Atque de Plauto quidem Ritschelius. opusc. II p. 608 (= Mus. Rhen. VII, 599—606) disputavit, verbi *esse* ellipsis usum et apud Plautum et apud Terentium non ita late patere: in responsis vero, ubi ipsius rei, de qua quaesitum esset, simplicem notionem afferri satis esset, tamen *est* accedere solere, velut in Trin. 70; 1176; in Ter. Eun. III, 5, 1. Sed in voce *factum* in responso apud utrumque poetam *est* desiderari, Holtzius[2]) II p. 2—3 docuit. In Ciceronis[3]) libris certum usum statui posse non existimo: nam et omissi verbi et additi exempla exstant, ut in oratione

[1]) In sequentibus verbis viri docti praeter Baiterum ed. Rom., Crat., Lamb. secuti scripserunt; *quis venit, qui offenderetur.* Sed nihil est, cur a MZ^b scriptura *offenderet* recedamus.

[2]) Holtze, syntaxis priscorum scriptorum latinorum, Lipsiae, 1861 — 1862, 2 voll.

[3]) cf. Landgraf, de Cic. elocutione in oratt. pro Quinctio et Roscio Am. conspicua, Wuerzburg, 1878, p. 23, c.

pro Sexto Roscio 37, 107, ubi utrumque est: *Qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? Duo Roscii! Num quisquam praeterea? Nemo est, iudices!* — Ex epistulis ponam: fam. V, 15, 3 (Cic. ad Lucc.): *Quod enim esse poterat mihi perfugium spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solatiis? Litterae, credo, quibus utor assidue.* — Aliter scripsit Cic. ad Att. XIV, 20, 4: *Quaeris*[1]), *ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem: consilia temporum sunt, quae in horas commutari vides.*

VII. Aliud etiam reliquum est ellipsis genus, de quo dicendum mihi est, quod maxime Ciceronis epistularum proprium est: Etenim Cicero, cum de re quadam ad amicos litteras dabat, quam illis satis notam esse sciebat, contentus erat, paucis verbis ea, de quibus familiares certiores facere in animo habebat, et leviter tantum significare. Talis autem verborum ellipsis, cuius usu in epistulis nihil est usitatius, e breviloquentiae studio orta mihi videtur. Exempli causa haec fere afferre mihi liceat: Att. I, 12, 1: *Τεῦκρις illa lentum sane negotium.* — Att. IV, 16, 5: *De Procilio rumores non boni, sed iudicia nosti.* — Att. XIII, 2, 3: *Cras igitur auctio Peducaei.* — Att. XIII, 21, 6: *Coheredes, ut scribis, in Tusculano.* — Similiter in participio perfecti verbum substantivum

[1]) Madvigius, adv. crit. II, p. 239—240 Latinum non est, inquit, *quaerere* ut quis faciat pro eo quod est *postulare*; itaque *quod vis* (a Wes. in textum receptum) legendum censet, quia Lambini *quod rogas* a proximo et vero aberraverit; Bait. *ut suscip. cogitationem* abesse mavult. — Concedendum est, Ciceronem nisi hoc loco *quaerendi* verbum aeque atque *postulandi* non usurpavisse, atque hanc constructionem plus habere miri, quam alteram, poetis imprimis concessam, cum infinitivo coniungi *quaerendi* verbum, ut idem sonet, quod cupiendi vel studendi (velut Hor. carm. I, 16, 26; 37, 22; III, 4, 39. sat. II, 1, 77. Verg. Am. IV, 631. cf. Kuehner II, 1, 491a et 495). Itaque nostro iure Madvigium sequemur, cuius coniectura a codicis vestigiis minime recedit. Georgesio autem non assentior, qui in lex. Lat. s. h. v. (I, 2, a, γ) *quaeris* servandum ducit, quia in Gell. N. A. XIII, 18, (17), 2 legatur: *quaerere et petere ut*: nam hoc loco *ut* a *petendi* verbo magis, quam a *quaerendi* pendet.

desideratur, velut Att. IV, 19, 2: *Hiberna legionis eligendi optio delata commodum, ut ad me scribit.* Att. XIII, 52, 2: *Praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose.*

In his vero offenderunt viri docti, opinor iniuria: Att. XIII, 48, 1: *Lepta me rogat, ut si quid sibi opus sit, accurram; mortuus enim Babullius*; Lamb. post *enim*, Or., Bait., Wes. ante *enim* verbum substantivum addiderunt. Quod minime probo: est enim hic nuntius perbrevis, festinanter a Cicerone in epistula admodum elliptica datus; itaque M codicis scriptura servata cum Ernestio et Schuetzio scribam: *mortuus enim Babullius.* — Simile est quod scriptum legimus Att. XVI, 11, 4: . . . *de duobus primis praeclare disseruit* (sc. Panaetius), *de tertio pollicetur se deinceps, sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus; ego autem* . . . ubi Or. *persecutust* coniectura effecit: neque id recte; continetur enim illa enuntiatione parvi momenti adnotatio, quam litteris Cicero admiscuit. Neque aliter sentio de fam. IX, 21, 3 (Cic. ad Paet.), ubi codicem M secutus cum Ernestio scribere malim: *Tres illi fratres fuerunt: C., Cn., M. Carbones. Marcus P. Flacco accusante, condemnatus, fur magnus, ex Sicilia; Caius* . . . contra Baiterum et Wesenbergium, qui *est* post *condemnatus* addiderunt. Atque recte nos verbum substantivum h. l. omisisse, intellegitur ex huius paragraphi contracta oratione, qua usus Cicero de Carbonibus verba fecit; quamobrem mihi non probatur, Wesenbergium in adnotatione dubitare, num forte post *seditiosus* inserendum sit *fuit* [1]. — Nonnumquam Cicero in sententia relativa talem nuntium obiter addidit et in ea quoque in participio perfecti verbum supplendum

[1]) Quod Madvigius ad Cic. de fin. p. 818 (ed. I; p. 805 ed. II.) fam. I, 8, 3 (Cic. ad Lent.) *sublata. sed nec* mutavit in *sublata sunt, nec* valde placet. — Sed Wes. num verum viderit, cum fam. I, 2, 3 (Cic. ad Lent.) scribi vellet *Hac controversia usque ad noctem ducta senatus dimissus est. Ego* (M: *dimissus et ego) eo die casu apud Pompeium coenavi*, ignoro: equidem codicis scripturam servare malim, praesertim quod Leh., q. T, p. 62—65 multis exemplis probavit, interdum in epp. *et* posito ad novam rem fieri transitionem.

reliquit: velut Att. XI. 24. 2. XIV, 9, 3. XV, 23. fam. X, 6. 3, de quibus postea disputandum mibi erit.

Deinde brevitatis causa in epistulis verbum *esse* omissum videmus, ubi cum adverbio coniunctum est: de qua re disputaverunt praeter ceteros Reis., l. l. p. 394, § 224, Kue. II, 1 p. 6—7, et accuratissime C. F. W. Mueller, Philol. IX, 617—626. Quorum ex commentationibus apparet, hanc locutionem sermonis esse cotidiani eamque aeque apud poetas atque apud rerum scriptores et oratores legi velut apud Sallustium et Ciceronem. Atque si exempla requiris, leguntur apud Plautum haec fere: Men. 485: *Minore nusquam bene fui dispendio.* Most. I, 1. 49: *Mihi benest et tibi malĕst* [1]). E Sallustii libris afferam: Iug. 87, 4: *Romanos* . . . . . . *remoto metu laxius licentiusque futuros.* (cf. Draeger, H. S. I, 170). — Apud Ciceronem legitur pro Deiot. 7,19: *cum in convivio comiter et iucunde fuisses.* — In Livio IIX, 19, 2 est: (dixerunt) *se sub imperio p. R. fideliter atque oboedienter futuros.* — In Ciceronis epistulis huius dictionis sexcenta occurunt exempla, et addita copula et omissa, ita ut vix pro certo statui possit, utrum hoc an illud Cicero praetulerit. In qua duo oportet distinguamus genera, alterum impersonale, alterum personale, utrumque usitatissimum. Illius modi exempla sunt: Att. I, 7: *Apud matrem recte est* [cui conferendum est: Q. fr. III, 2, 3, de quo dixi p. 25 adn. 1.]. — Att. XVI, 1, 5: De CCX, optime. — Att. V, 10, 2: Belle adhuc (erat.). — Att. XIII, 21, 6: *De Attica optime* quod idem legitur Att. XII, 45, 2. Huc ea quoque pertinent, quae leguntur initio epistularum earum, quas ad familiares misit, qui cum Cicerone non tanta coniuncti erant amicitia, quanta inter Atticum et Tullium intercedebat: illam locutionem dico, quae saepissime sic legitur: *S. V. B. E. E. V.* [h. e.: si vales, bene est, ego valeo]; atque sic scriptum invenimus *si vales, bene est*, in ep. Met. ad Cic. (fam. V, 1, 1) et Cic. ad Ter.

[1]) cf. Holtze, Synt., l. l. II p. 6—8.

(fam. XIV, 15); *si vales, bene est, ego valeo* in ep. Cic. ad Ter. (fam. XIV, 8), Vatinii ad Cic. (fam. V, 9, 1 : *S. V. B. E. E. V.*), Lepidi ad Cic. (fam. X, 34. 1 : *S. V. B. E. E. V.*); *si tu exercitusque valetis, bene est* in ep. Cic. ad Met. (fam. V, 2. 1.) et Cic. ad Pomp. (fam. V. 7, 1 : *S. T. E. Q. V. B. E.*); *S. V. B. E. E. Q. V.* in ep. Vatinii ad Cic. (fam. V. 10 a. 1). Pollionis ad Cic. (fam. X, 33, 1.). Lepidi ad sen. (fam. X, 35. 1), Cassii ad Cic. (fam. XII. 11, 1 et XII, 12. 1). Cic. ad coss. (fam. XV. 1. 1 et XV. 2, 1 addito pronomine *vos*). — Quattuor autem sunt loci. ubi codex M sic exhibet: *S. V. B.*: in ep. Curii ad Cic. (fam. VII, 29, 1.). Brut. et Cass. ad Ant. (fam. XI, 3, 1), Trebon. ad Cic. (fam. XII, 16, 1). Cass. ad Cic. (fam. XV, 19. 1.); undecim locis sic in M est: *S. V. B. E. V.*: in ep. Lucc. ad Cic. (fam. V. 14, 1.), Cass. ad Cic. (fam. XII, 13, 1), Lent. ad coss e. q. s. (XII, 15. 1), Cic. ad Valer. (fam. XIII, 6a, 1), Cic. ad Ter. (fam. XIV, 11; 16; 17; 21; 22; 23; 24.). Omnibus his locis excepto uno loco (fam. V, 14, 1.) Wes. in editione *est* addendum censuit[1]); rectius vero et melius Bait. fecit, qui codicis scripturam servavit, cum ad fam. V, 14, 1 in adn. cr. de litteris *S. V. B. E. V.* diceret, *B.* significare videri *benest*, ad XI, 3 de litteris *S. V. B*, *B* esse *benest*. Quod quam verum sit, equidem haud diiudicaverim; tantum dico, nihil impedire, quominus illud *S. V. B. E. V.* sic expediamus: *si vales, bene est*; *valeo*, ut scriptum legimus initio ep. Dolabellae ad Ciceronem: (fam. IX, 9, 1) *S. v. g. v. et Tullia nostra recte v.*, h. e. Si vales, gaudeo; valeo. — Sed de forma orationis *S. V. B.* aut Baitero assentiendum est aut censendum. elliptica oratione usum esse eos, qui sic scripserunt, ita ut supplendum sit *est*. Mirum sane est, hanc brevem dictionem ter in Cassii epistulis (fam. XI, 3, 1; XV, 19, 1; XII, 13, 1) et octies in Ciceronis epistulis (fam. XIII, 6a, 1;

[1]) quod vituperavit Schmalzius, Zeitschr. f. d. Gymn.-Wes. 1881, XV p. 132.

XIV, 11; 16; 17; 21; 22; 23; 24.) legi, cum plena sit sententia in Cassii litteris duabus (fam. XII, 11, 1 et 12, 1) et in septem Ciceronianis (fam. V, 1, 1; 2, 1; 7, 1. XIV, 8; 15. XV, 1. 1; 2, 1.).

Sed eo, unde digressi sumus, revertamur. — Personalis constructionis plurima exempla sunt in epistulis, sed saepius plenas sententias invenies quam ellipticas: atque additum verbum est in his fere: Att. VI, 3, 9: *Hortensius f. fuit Laodiceae gladiatoribus flagitiose et turpiter.* — Att. XVI, 6, 1: *ubi* (h. e. Veliae) *quidem fui sane libenter apud Talnam nostrum.* — fam. IX, 9, 1 (Dolab. ad Cic.): *praeterea rectissime sunt apud te omnia.* Desideratur autem: Att. V, 11, 2: *Marcellus foede in Comensi.* — Att. XVI, 2, 1: *Hortensius vero impudenter.* Brut. II, 5 (7), 1: *Tu lenius, immortali omnino cum tua laude . . . .* — Att. XII, 32, 1 in M codice sic scriptum est: *rescripsi me etiam gravius esse quam tum, cum illi dixissem, me solum esse velle*; quam M codicis lectionem nec servare volo, neque cum Ern., Sch., Wes., Bootio scribere *esse affectum* [secuti sunt ed. Jens.], sed cum Orellio et Baitero *mi etiam gravius* legendum esse censeo; etenim *me gravius esse* in oratione recta est *gravius sum*; quod aeque dictum esse a Cicerone atque *gravius affectus sum* concedendum est. — Sed plus semel hoc sensu usurpatum occurrere *mihi graviter, bene, male est*, satis notum est[1]); quam ob rem cum Baitero, Orellio auctore, scribendum credo: *mihi etiam gravius esse.*

Reliquum iam est, ut de iis dicam locis, ubi

IIX. *esse* praedicatum, non copula,

desideratur: id est, de iis locis, quibus verbo *esse* inest notio fere verbi *morandi* vel *manendi*. Qui verbi *esse* ellipsis usus tum maxime apparet, cum de itineribus Cicero, sive quae fecit sive quae facturus erat, certiores amicos

[1]) cf. Att. XII, 34,1: *Tironi enim melius est.*

facit. — Sed ut ad exempla ipsa accedam, legitur Att. IV, 9, 2: *Ego me de Cumano movi a. d. V. Kal. Maias; eo die Neapoli apud Pactum.* — Att. VII, 5, 3: *inde Pomptinum sumam*[1]); *inde Albanum Pompeii. Ita ad urbem a. d. III. Non., natali meo.* Att. XIII, 47b, 1: *itaque hodie Antii, cras ante meridiem domi.* — Att. XIV, 11, 2: *Lentulus Spinther hodie apud me; cras mane vadit.* — Complures etiam sunt loci, ubi verbum *esse* similiter dictum est atque Graecum *συνεῖναί τινι*, velut Att. XII, 7, 2: *et, quod praeterii, Dolabella etiam mecum.* — Att. XIV, 11, 2: *Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa.* — Att. XIV, 12, 2: *Nobiscum hic perhonorifice et amice Octavius.* — fam. XVI, 12, 4 (Cic. ad Tir.) codex M exhibet: *reliquit illum et nobiscum;* vulgo coniectura effectum est *et nobiscum est* (sic Wes.), sed equidem Klotzium et Baiterum sequi malim, qui scribunt: *et est nobiscum*; nam post *et* excidisse *est* multo plus habet probabilitatis quam post *nobiscum*[2]).

In fine eius partis disputationis meae, qua eae ellipses continentur, quae in sententia principali leguntur, liceat mihi, ea quoque exempla enumerare, ubi in sententiis secundariis **praedicatum** *esse* omissum est. Ac primum quidem infinitivus *esse* saepenumero desideratur in sententia a *cogitandi*[3]) verbo pendente: velut in his: Att. V, 3, 3: *Beneventi cogitabam hodie* [sic recte M; Bosius *Beneventum.*]. — Att. VII, 4, 3: *sed, ut nunc est, a. d. III. Non. Jan. ad urbem cogito.* Att. XII, 1, 1: *Atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano; ibi unum diem* [manebo[4])]. – Att. XIV,

[1]) Baiterum sequor.

[2]) In sententia finali verbum deest: Att. XV, 29, 2: *et quidem duas ob causas: et ut mecum* (sit) *et σπείσασθαι vult* . . .

[3]) Sic etiam saepissime infinitivum verbi *proficiscendi* post *cogitandi* verb. omissum videbimus.

[4]) Interdum *manendi* aut *morandi* verbum potius supplendum censebimus quam simplex verbum *esse:* Att. IV, 3, 3: *Exin senatus postridie Idus: domi Clodius.* — X, 15, 2: . . . . *Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret, quo ipse, credo, honestius* (in Italia maneret: Ern. Sch.). — Att. XII, 7, 2: *sin ille tardius, ego tamen triduum.* — Att. XII, 40, 5: *Quod quaeris, quamdiu hic.* — Att. XIII, 52, 2: *Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum.*

2, 4: *In Tusculanum hodie, Lanuvii cras, inde Asturae cogitabam.* — Att. XIV, 21, 4: *Postridie apud Hirtium cogitabam.* — Att. XIV, 11, 1 verbum desideratur in sententia optativa: *Velim mehercule, Asturae Brutus* (sit); et similiter Att. XIII, 47b, 1: *tu velim, nisi te impedivisti, apud nos pridie Kal. cum Pilia!*

Haud scio an recte hoc loco, ubi quaestio est de omisso verbo *esse*, etiam de composito verbo *adesse* disputemus, quod saepius in epistulis supplendum Cicero nobis reliquit. Cuius ellipsis exempla in hoc potissimum capite enumeranda mihi videntur, non eo, quo agitur de omissis verbis *movendi*, quia sententiis, quas allaturus sum, non tam *proficiscendi* vel *motus* inest notio quam *praesentiae*. Eiusmodi fere haec sunt:

a) in sententiis primariis: Att. XIII, 16, 2: *Ergo ad Nonas, quemadmodum dixi.* — Att. XIII, 52, 1: *quippe hominum MM* (sc. aderant.). — Att. XV, 4, 2: *Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus, ut ad te ante scripsi: a. d. VI Kal.* (adero). [1])

[1]) Qua in sententia duo sunt loci, qui male a viris doctis coniecturis temptati sunt. Ac primum quidem in enuntiato *quod te a Bruto scribis* editores *rogandi* verbum excidisse putaverunt; itaque Bait. ex Mich. Bruti editione *rogari,* Wes. ex sua coniectura *rogatum* in textum receperunt; Ern. et Sch. nihil illi quidem addiderunt, sed Graevii coniecturam *de Bruto* scribentis laudarunt. Equidem cum Orellio et Draegero [H. S. I p. 174] nihil inserendum, sed cogitatione supplendum *rogari* censeo. Etenim et saepius hoc verbum in epp. subaudire debemus — de qua re postea dicam —, et Atticus, ad quem haec epistula missa est, haud ignorabat, quid Cicero his paucis verbis significare voluerit — quod apparet ex ep. ad Att. XV, 1a, 5: *Quod Brutus rogat, ut ante Kalendas, ad me quoque scripsit, et fortasse faciam;* accedit, quod Cicero, quia Attici epistulae respondet, quam brevissima usus est locutione, de qua re cf. p. 18. — Deinde Baitero et Wes. suspecta sunt verba *quo die in Tusculanum essem futurus,* quorum ille *in Tusculano essem fut.*, hic *in Tusculanum essem venturus* scripsit. Neque vero hoc mihi proba-

b) in enuntiatis secundariis, velut Att. XI, 19, 2: *Philotimus dicitur, Idibus Sextilibus (affore):* cf. Draeger I, 177. Att. XIII, 21, 6: *De Caesaris adventu scripsit ad me Balbus non ante Kalendas Sextiles* (eum affore.). — Att. XVI, 4, 1: *Quintus enim altero die se aiebat.* — Att. XIII, 22, 4: *atque utinam tu quoque eodem die* (adsis.). — Att. XIV, 22, 2: *Equidem in his locis moneor a multis, ne in senatu Kalendis.* — Att. XV, 1a, 5: *Quod Brutus rogat, ut ante Kalendas, ad me quoque scripsit.*

Compluribus locis verbi *esse* formas quasdam desideramus, ubi non in sua propria vi, sed in derivata notione usurpatum verbum est, velut: Att. XIII, 52, 1: *Castra in agro* (erant), *villa defensa est*, et 52, 2: *Dolabellae villam cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi*; illo loco omissum *erant* idem fere sonat quod *posita erant*, hoc loco *erat* dictum est aeque atque *constitit*; similiter scripsit Att. IIX, 3, 7: *ecce litterae, Cae-*

tur: etenim quae in M codice leguntur, recte ad nostram memoriam tradita sunt: quae in Antoniano et Faerniano scripta invenimus: *in Tusculanum ess. vent.* coniectura effecta sunt: nam si haec vera esset lectio, nemo illam codicis M ex hac effecisset; ex M codicis scriptura satis mira facile illa corrigi poterat. — *In Tusculanum essem futurus* recte dici, testis est imprimis Kue., qui in Gram. lat. II, 1 p. 432 multa huius locutionis exempla attulit; testis est Krueger, Gr. der lat. Spr. § 382 adn. 4: testis est Hand, Tursellinus III p. 347 (Lipsiae 1836); testis denique Georgesius, qui in lex. lat. s. h. v. I, A, 2, h. huius usus plura exempla attulit. — E Ciceronis epistulis haec similia afferre mihi liceat: fam. IIX, 8, 8 (S. C. in Cael. ep. ad Cic.) codices exhibent: *qui praetores fuerunt neque in provinciam cum imperio fuerunt*, quod Wes. male mutavit in *in provincias c. i. iverunt.* — In ep. Cic. ad Brut. II, 1, 3 cum Cratandro k habet: . . *te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse;* Lambino auctore Bait. et Wes. *acie* scripserunt; sed illud malle se dicit Becher, Mus. Rhen. XXXVII p. 587 — ut mihi videtur, recte! Dubia est lectio in ep. Cic. ad Cass., fam. XII, 4, 2: *fama nuntiabat, te isse in Syria* M; *isse in Syriam* marg. Crat., B.; *esse in Syria* k, Wes. Ernestius *esse in Syriam* fortasse recte coniecit. cf. etiam C. J. L. V, 5050, v. 27. J. Neap. 2646, 20 et 6828, 13. — Vide etiam Koehler, de auctorum belli Afric. et belli Hispan. latinitate, Erlangen 1877, p. 96.

sarem ad Corfinium (sc. esse, i. e. *constitisse*); Att. XVI, 8, 1: *Veteranos, qui quidem Casilini et Calatiae* [*sunt* om. M; post *qui* ponit k: sed praetermittendum censeo.] *perduxit ad suam sententiam.* cf. p. 46.

B. De iis verbi *esse* formis, quae in sententiis secundariis desiderantur,

disputandum mihi iam est. Ac primum quidem infinitivum *esse* in participio perfecti passivi saepissime, futuri et gerundivi fere semper omitti, si pendet a verbo *sentiendi* vel *declarandi*, notissimum est: cf. Kue. Gr. L. II, 1 p. 524, 7; nec minus notum est, haec verba respuere solere verbum *esse* cum adiectivo coniunctum, de qua re cf. Kuehneri adnotationem ad Cic. Tusc. I, 6. 13; Kritzii ad Sall. Cat. I, 3 p. 6.; atque post *velle, nolle, malle* non ita raro infinitivum *esse* deesse, monuit Kue., Gr. L. II, 1, p. 9 adn. 1. — Quae viri docti ll. ll. universe de omisso infinitivo *esse* disputaverunt, ea omni ex parte etiam in Ciceronis epistulas quadrant, in quibus huius ellipsis usus tam late patet, ut singula exempla enumerari vix possint. Itaque de iis tantum locis disputabo, quibus omissus infinitivus *esse* viris doctis in suspicionem venit. Ac primum quidem in ep. Caelii ad Cic., fam. IIX, 13, 2 haec leguntur in codice M: *transierant illuc, ut ratione eius habenda, qui* . . . Quae corrupta verba Wes. sic emendavit, ut scriberet: *rationem esse eius habendam;* Bait., ut scriberet, *rationem eius habendam*; quem secutus est Burg, qui in dissertatione, supra laudata, p. 39 nihil esse dixit, quod cum Wesenbergio ante *eius* infinitivus *esse* insereretur. Equidem dubitare me fateor, rectene viri docti codicis reliquias emendaverint: credo enim, quod Or., Ern., Sch. proposuerunt, propius accedere ad codicis scripturam: *ut ratio esset eius habenda.*

Deinde sunt loci, ubi omissus infinitivus praesentis *esse*. qui epistulas ediderunt, suspicionem movit: in quos singulos inquiramus necesse est! Att. IV, 2, 4: *tum M. Lucullus* ... *respondit religionis iudices pontifices fuisse, legis senatum: se et collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statuturos* Seiffertius, Mus. Rhen. XV, 628—634, bene intellexit, in hac parte totius enuntiati *legis senatum* verbum *esse* ex *fuisse*, quod proxime antecedit, sumere nos debere; sed quod ex ed. Jens., in qua est *legisse senatum*, scribendum putavit *legis esse senatum*, non probo: nam ex iis, quae proxime sequuntur, satis apparet, et quid Cicero cum amico communicaverit et hoc verbum cogitatione tantum supplendum esse. Sic Manutius quoque in commentario hanc sententiam exposuit, unde apparet, in his verbis eum non offendisse. Illud breviter addam, Baiterum in adn. crit. scripsisse, se malle *legis senatum esse*, quod Bo., Hofm., Wes. receperunt. — Att. X, 8, 4: *existimat enim, qui mare teneat, eum necesse rerum potiri* Lambino auctore ab editoribus post *necesse* infinitivus *esse* iure additus est: nusquam enim *necesse* sine verbo adverbii loco pro *necessario* usurpatum est [1]). — Sequuntur duae sententiae, in quibus aut *esse* aut aliud quid excidisse viri docti putaverunt, sed quas recte ad nostram memoriam pervenisse persuasum habeo: Att. XI, 25, 1 et XIII, 41, 1 dico, quarum illa sic in M codice legitur: *Facile assentior tuis litteris, quibus exponis pluribus verbis, nullum consilium, quo a te possim iuvari*; sic Or., Bait., Bo. exhibent, sed hic in adnotatione suspicatur, post *verbis* excidisse *esse*; Wes. coniecit *nullum esse cons.*; quod in ed. Jens. additum videmus *te habere* nihil aliud nisi additamentum est et codicis auctoritate omnino caret [2]). Itaque et hanc et ceteras coniecturas respuere malim: perspicuum enim est, Ciceronem tam breviter scripsisse, quia Attici litteris respondens, paucis verbis repetebat, quae ille ad Tullium scripserat; de hoc Ciceronis usu conferenda sunt, quae supra, p. 18., disputavi. — Altera sententia Att. XIII, 41, 1 legitur: *Cum ille quereretur, filio cum matre bellum, et se ob eam causam domo cessurum filio diceret, dixi illum* . . ., in qua Wes. et Bo. post *bellum* verbum *esse* inseruerunt, quod hic negat omitti posse: nam dativum *filio* ab *esse* pendere, quod ante *et se* facile excidere potuerit. Quam causam ratam equidem non putaverim; nam si paulo accuratius huius epistulae dictionem cognoscamus, intellegemus, sicut Bo. *filio* ob omisso *esse* pendere scripserat, paulo post *litteras* ab omisso *dedisse* et vocabula *de te autem suam culpam* ab omisso *esse dixit* pendere: sed haec nemo adhuc addidit! Neque id opus est: totius enim epistulae dicendi genus admodum abruptum est, ni fallor, quia Cicero vehementer Quinti fratris familiae dissensione commotus erat. — Apte cum his coniunguntur duo loci, qui in Cael. ep. ad Cic., fam. IIX, 3, 1 et in Cic. ep. ad Lep., fam. X, 27, 1 exstant; et hoc et illo loco infinitivum *esse* excidisse suspicatus Wes. est; in Caelii epistula: *quomodo illum putas auguratus tuum competitorem dolere et dissimulare, me certiorem quam se candidatum?* in adnotatione dubitavit, essetne scribendum: *se esse candidatum*, quod bene refutavit Burgius l. l. p. 39. In Ciceronis epistula ad Lepidum: *sin ista pax . . . hominem in possessionem . . . restitutura est, hoc animo scito omnes sanos, ut mortem servituti anteponant*, Romanam editionem secutus cum Ernestio et Schuetzio *esse* in textum recepit. Sed nihil miri habere infinitivi *esse* omissionem, ubi cum adjectivo coniunctus est, post verba *sentiendi* et *declarandi*, iam supra demonstravi

[1]) Similiter Ritschelius et Fleckeisenus ad Plaut. Pseud. IV, 2, 38 docuerunt scribendum esse: *Nam hodie Sicuoni necessest me esse*; cf. Holtze II, p. 2.

[2]) Neque Lehmanni coniecturam probaverim, qui q. T. p. 8 coniecit: *nullum consistere consilium*, revocans sese ad ea, quae Att. IIX, 11, 1 essent; *levatur enim omnis cura, cum aut constitit consilium aut cogitando nihil explicatur*; sed hoc in locum, de quo est disputatio nostra, non quadrat: nam Att. IIX, 11, 1 inter se opponuntur constitutum consilium et consilium non capiendum, cum XI, 25, 1 de ea una re agatur, nullum Atticum invenisse consilium, quo Tullium servare posset.

(p. 35); conferenda haec quoque sunt: fam. III, 11, 5 (Cic. ad App.): *ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat, sic tu . . ., quod disertum non erit, ne putaris meum.* — Fam. VII, 32, 2 (Cic. ad Volum.): *sit vel Selius tam eloquens, ut possit probare se liberum: non laboro.* Q. fr. II, 15, 5: *reliqua ad quendam locum ῥᾳθυμότερα.*

Multi sunt loci, ubi post verbum *posse* infinitivus *esse*[1]) desideratur. Ut exempla afferam, Att. XV, 19, 2 haec leguntur: . . . *potest aliquid iratus* (*iratius* M) *Antonio, potest gloriam novam quaerere, potest totum esse σχεδίασμα,* . . . in qua sententia et omissum infinitivum et additum videmus. Att. XIV, 12, 2 codex M sic exhibet: *quem* (sc. Octavium) *nego posse bonum civem*, quam scripturam Ern. et Sch. secuti sunt; Or. autem et Bait. et Wes. Lambino auctore *esse* post *posse* addiderunt. Sed credo, Lambinum, quia durior haec infinitivi omissio visa ei est, non ex codicum auctoritate, sed ex sua coniectura *esse* addidisse. — Similiter Att. XIV, 3, 1 hoc verbum subintellegendum est: *Tranquillae tuae quidem litterae — quod utinam diutius! nam Matius posse negabat.*

Quam verbi *esse* ellipsim a *posse* pendentis ibi potissimum exstare videmus, ubi rem quandam Cicero magnis laudibus effert, sive negativo iudicii genere usus est, velut Att. V, 1, 3: *nihil potuit, mihi quidem ut visum est, dulcius*, et XV, 20, 1: *egi gratias Vettieno: nihil enim potuit humanius*, et de fin. IV, 18. 48: *quo nihil potest brevius*[2]), sive in sententia consecutiva quid qua de re censeret, patefecit, velut Att. XIII, 19, 3: *eos* (sc. dialogos) *confeci . . . ita accurate, ut nihil possit supra;* [cf. Draeger, H. S. I, 196]; Att. XV, 1 b, 2: *ut nihil possit ultra*; sed in eadem paragrapho, paucis versibus interiectis, legitur: *ut elegantius esse nihil possit*, sicut fam. XIII, 50, 1 (Cic. ad Acil.): *ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse coniunctius;* in ep. Cic. ad Ter., fam.

[1]) Multo saepius etiam *faciendi* verbum post *posse* desiderari, postea demonstrabo.

[2]) cf. Madvig, ad Cic. de fin. IV, 18, 48.

XIV, 1, 4: *Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit*[1]). Sic etiam apud Ter., Andr. I, 1, 93: *Et vultu, Sosia, Adeo modesto, adeo, venusto, ut nil supra* in simili dictione *sit* vel *possit esse* omissum videmus[2]); in sententia principali similiter Ter. Ad. II, 3, 11: *Nihil supra pote* scriptum est. — Huius loci videtur esse, ea afferri exempla, ubi post *pote* vel *potis* formas verbi *esse* desideramus. Atque saepius *pote* a scriptoribus poni omisso verbo *esse*, docuerunt Ritschelius[3]) in proleg. ad Plauti trin. p. 111 [cf. Holtze, synt. pr. scr. l. II p. 3, qui Ritschelii exemplis nonnulla addidit], deinde Madvigius ad Cic. de fin. p. 767; tum Reblingius[4]) p. 9, denique Georgesius, qui in lex. lat. s. h. v. hunc usum compluribus exemplis comprobavit; postremo Kue., Gr. l. II, 1 p. 9 adn. 3 et Schmalzius in Iw. Muelleri Hdbch II p. 399. — E Ciceronis epistulis haec fere afferam: Att. XIII, 38, 1: *Hoc quicquam pote impurius?* quam codicis M scripturam servarunt Ern., Sch., Bait.; sed Wes. editionem Jens. secutus *potest esse* scripsit. Quam

[1]) Simillimum huic dicendi generi est illud alterum, in quo non verbum *esse* sed verbum in enuntiato principali positum supplendum est: Exempli causa afferam: Att. XIII, 13, 1: *Libri quidem ita exierunt, . . . ut in tali genere ne apud Gr. quidem simile quicquam* (sc. exierit). — Fam. I, 9, 20 (Cic. ad Lent.): . . . *cumque Pompeius ita contendisset, ut nihil umquam magis, ut* . . . — Fam. XIII, 1, 5: (Cic. ad Mem.): *sic a me hoc contendit, . . . ut nihil umquam magis, nec* . . . Atque hanc orationis formam familiaris sermonis maxime propriam esse, Schmalzius in Iw. Muelleri Handbuch d. klass. Altertumswiss. II p. 518 monuit; cui plane assentior, quod affirmavit, inde a particula *ut* incipere sententiam consecutivam: aliter Ramshornius, Gr. lat. § 205, 3a n., de hac re censuit, qui *ut* putavit esse *ut comparativum*, quod mihi non probatur. — De hoc dicendi genere idem fere iudicandum est, quod supra p. 17—18 Leh. de *nihil cum comparativo posito* dixerat: usurpatum esse hanc locutionem pro adverbio ornante affirmative posito.

[2]) cf. Holtze, synt. pr. scr. lat. II p. 4.

[3]) Qui id quoque monuit, *potis* vel *pote* vocem hoc habere singulare, ut non pro *potest* tantum vel *potis est* usurparetur, sed etiam pro aliis formis eius verbi, etiam pro infinitivo.

[4]) Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache. 2. Abdr. 1883, Kiel.

coniecturam reiciendam esse, iam Madvigius ad Cic. de fin. IV, 18, 48 demonstravit. Etiam Att. IV, 13, 1: *velim . . . scribas ad me, quantum pote* [sic M et vetus codex Lamb.] Wes. ex ed. Rom. scripsit *quantum potes*, neque vero hoc loco rectius quam loco supra a me allato: Botii iudicium probo, qui in adnotatione ad h. l. docuit, *quantum pote* in familiari sermone dici pro *quantum potest* idque pro *quantum fieri potest*, ita ut non raro *potest* pro *fieri potest* ponatur. Sed de hoc loco nonnullisque similibus postea, quoniam haec quaestio est de omissis formis verbi *esse*, dicendum mihi erit.

Infinitivum futuri verbi *esse* raro omitti idque satis dignum commemoratione esse, Kue. Gr. l. II. 1. p. 9 adn. 1 monuit. Itaque huius ellipsis pauca exempla leguntur, velut: Att. XIV, 1, 1: *affirmatque* [sic M R; Bait.; *affirmabatque* Or., Wes., Bo.] *minus diebus XX tumultum Gallicum* (fore). — Att. XVI, 1, 6: *Q. filius mihi pollicetur se Catonem.* — fam. III, 10, 11 (Cic. ad App.): *te enim, ut spero, propediem censorem audiemus.* — fam. X, 25, 2 (Cic. ad Furn.). Att. IX 18, 1. IV, 12, sententia, quam codex M sic exhibet *Macroni vix videor praesto esse. Enim auctionem Larini video et biduum praeterea* suspecta viris doctis fuit; quamobrem alius aliud ad sanandum hunc locum proposuit. Verum censuisse Baiterum puto, qui codicis M scriptura servata, mutata sola interpunctione editionem Rom. secutus habet: *Macroni vix videor praesto* (sc. *fore* vel *esse posse*); *esse enim auctionem Larini video et biduum praeterea.*

In sententiis interrogativis obliquis in oratione minus perpolita et ornata interdum verbi *esse* formas desiderari, suo iure Wichertius[2]) monuit contra Madvigii auctoritatem, qui ad Cic. de fin. p. 270 ed. II negavit, *sit* in interrogatione abesse posse. Exempli causa Wichertius e Ciceronis orationibus haec attulit: pro Plancio 25, 61: *Profers*

[1]) Hofmann, der kritische Apparat zu Ciceros Briefen an Atticus, Berlin 1863, p. 53 f.

[2]) Wichert, Lateinische Stillehre, Koenigsberg 1856, § 109.

triumphos T. Didii et C. Marii et quaeris, quid simile in Plancio? et paulo post § 62: *Quaeris, num disertus.* Sic quoque Kue., Gr. l. II, 1 p. 9 adn. 1, de hac ellipsi censuit, qui haec e Ciceronis scriptis laudavit: Off. I, 43 152[1]); Divin. II, 68, 141. — In epistulis quoque hac ellipsi usus est Cicero, in sententiis, in quibus vere de re quadam quaerebat, aut forma interrogationis usus cuiusdam mores depingebat. Illius rei exempla haec fere sunt in epistulis: Att. V, 3, 1: *Qui de republica rumores, scribe, quaeso.* — XII, 5, 3: *Nunc velim, P. Scaevola, quibus consulibus tribunus plebis* [sed admodum abruptus est sermo totius paragraphi.]. — XII, 51, 2: *hoc tamen velim scire, quando auctio.* — XIV, 1, 2: *scribere ne pigrere, in his, de Sexto satisne certum.* — fam. XVI, 24, 2 (Tull. ad Tir.): *de publicis omnia mihi certa: quid O., quid A., quae homninum opinio, quid futurum putes.* Ex altero genere haec afferam: Att. VII, 13a, 1: . . . *quorum dux quam ἀστρατήγητος, tu quoque animadvertis; quam autem sine consilio, res testis.* — Att. IX, 5, 1: *scripsi ad te, quam gravis.* — XIV, 21, 2: *et nosti virum, quam tectus.* — XVI, 9: *non confido aetati, ignoro, quo animo.* — IV, 16, 4: *Vestorio non desum; gratum enim tibi id esse intellego et, ut ille intellegat, curo: sed scis, qui! cum habeat duo faciles, nihil difficilius.* Nihil est, cur cum Wesenbergio post *qui* inseramus *sit*; nam ex sententia facile suppleri potest. Bait. quod post *qui* interrogationis signum posuit, Schuetzii coniecturam probare mihi videtur, qui in adn. ad h. l. sic exhibet: „sed scis, qui? h. e. sed num scis, quomodo mihi hoc procedat, s. quid ista cura mea apud eum proficiam?“, quae mihi diplicet. Puto enim verba *sed scis, qui!* idem sonare, quod in ep. ad Att. XIV, 21, 2: *et nosti*[2]) *virum*, sc. quam difficilis sit; cum

[1]) quibus adde: de off. I, 17, 58: *si comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum.*

[2]) Idem legitur in Cic. ep. ad Brut. II, 5, 4: *nosti hominem.* — Att. X, 4, 8; *nosti hominem,*

nos, inquit Cicero, simus tam faciles, nihil fere proficere possumus.

In sententiis finalibus

verbum *esse* in Ciceronis epistulis nonnumquam desiderari, iam supra p. 32 adn. 2. et p. 34 dixi; quibus exemplis addam ad Att. XVI, 11, 2: *Quod vereris, ne ἀδόλεσχος mihi tu, quis minus?* (de supplenda altera persona verbi *esse* cf. p. 20—21). Att. VII, 7, 7: *Depugna, inquis, potius quam servias. Ut quid?*[1]) — Simile est, quod legitur in or. pro Quint. XIII, 44: *Ut quid praeterea?* — Att. IIX, 1, 2: *Sic enim parari video, ut Luceriam omnes copiae contrahantur, ut* (sic recte Wes. em.[1] p. 17 n. ex M codicis *et* effecit!) *ne is quidem locus stabilis*[2]), *sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga!* Ernestio auctore Bait., Wes., Bo. *stabilis sit* scripserunt, quia *sit* inter *-lis* atque *sed* facile potuerit excidere. Quod rectene viri illi docti fecerint, equidem haud diiudicaverim.

In sententiis condicionalibus

raro verbi *esse* formae omittuntur et in epistulis Ciceronis et in ceteris eius scriptis. Ubi haec ellipsis legitur, orationem videmus fervidam atque gravem, sententias autem contractas. Eiusmodi fere sunt Phil. III, 6, 14: *si ille consul, fustuarium meruerunt legiones.* — ibid. IV, 2, 5: *si ille non hostis, hos . . . hostes necesse est iudicemus.* — Att. XIV, 5, 2: *Sed vides magistratus, si quidem illi magistratus*; quod fere idem est in epistulae sequentis paragrapho altera: *Sed vides consules, vides reliquos magistratus, si isti magistratus*[3]).

Tum quoque exstant exempla, in quibus verbi *esse* formae omissae sunt, ut celerius procedat oratio; atque huc

[1]) Monuit Madv. ad Cic. de fin. p. 248, ed. II., Graecorum locutione *ἵνα τί* usum esse h. l. Ciceronem suo sermone.

[2]) Madvigius, advers. crit. III p. 178 coniecit: *ut ne is quidem locus standi sit.*

[3]) Similiter est dictum, quod legitur in ep. Cic. ad Cur., fam. VII, 28,1: *cum quidem haec urbs* (sc. fuit), de quo vide p. 48.

referam Att. XIII, 26, 1: *quod si neutrum, metuo, ne . . . .* — fam. X, 26, 2 (Cic. ad Furn.): *Tu . . . id cogitas, ut aut ad comitia curras, aut si iam confecta, domi tuae sis.* — Att. XVI, 13 b, 2: *verumtamen, si pares aeque inter se, quiescendum.* — Att. XI, 23, 1 in M codice sic legitur: *Tuas litteras exspectabam, nisi illud quidem mutari, si aliter et oportet, non video posse*; sic etiam est in ed. Klotziana. Haec Lambinus ita emendavit, ut scriberet: *si aliter est atque oportet*; sed iniura in *et* particula offendit: nam interdum in comparatione post *pariter, aeque, aliter* similiaque sequi *et* pro *atque*, satis notum est: de qua re cf. Bootii adn. ad ep. ad Att. X, 11, 1; Handii Tursell. (Lipsiae 1829), I p. 268; Kue. Gr. l. II, p. 635, 13. Copula vero nescio an recte a viris doctis addita sit, et quia facile ante *et* excidere potuit, quod Wes. em.[1] p. 57 adn. 1 monuit, et quod epistula ita scripta est, ut tali breviloquentiae locus non sit. — In epistula Ciceronis ad Appium, fam. III, 8, 8 similiter Lambinus in sententia: *liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in provincia patuit: nostra si angustior, — etsi . . . . limavit aliquid posterior annus . . . . —, non debent mirari homines . . . ,* ante *etsi* inseruit *est*, eumque secuti sunt Bait. et Wes.[1]); Or., Ern., Sch. codicis scripturam servarunt. Quibus libenter assentior: etenim ex *patuit*, quod proxime antecedit, facile *est* sumi potest.

Monendum breviter est, in ep. Ciceronis ad Varronem data, fam. IX, 7, 1: *volebam, prope alicubi esse te* (sic ex M codicis *esset* Manutius!), *si quid bonae salutis, σύν τε δύ' ἐρχομένω,* post *si* loco particulae interrogationis positum, omisso *exspectandi* vel simili verbo *esset* desiderari[2]).

In sententiis concessivis,

quarum dictio contracta est et brevis, interdum verbi *esse* formas desideramus. Att. VII, 1, 5: *plane opus fuit, si hoc*

[1]) em.[1] p. 16—18 adn.

[2]) Kue. Gr. l. II, 2, 946, 2 extr.

impendebat, etsi nihil miserius. Att. IX, 7, 5: *Abeamus igitur inde qualibet navigatione, etsi id quidem, ut tibi videbitur.* Att. IX, 11, 1: . . . *qui se diceret, cum in Appia . . . cognosse, etsi vix veri simile, nisi tamen* . . . [male Wes. dubitat, num *videbatur veri simile* scribendum sit!]. Att. XIII, 41, 2: *utriusque nostrum idem consilium esse debet, etsi in me graviores iniuriae et certe notiores.* Att. XIV, 11, 1: . . . . *ferre non queo; etsi ista iam ad risum.*

In sententiis optativis

interdum in epistulis verbum *esse* desideratur, praesertim, cum gravi oratione Cicero utitur. Quem ellipsis usum Kue. Gr. l. II, 1, p. 9 adn. 1 suo iure paulo admirabiliorem dixit. Eiusmodi exempla supra p. 33 et 34 iam attuli, velut Att. XIII, 47, b, 1: *tu velim, . . ., apud nos pr. Kal. cum Pilia* et XIV, 11, 1: *Velim mehercule Asturae Brutus* p.33 ; Att. XIII, 22, 4: *atque* [1]) *utinam tu quoque eodem die!* p. 34. Quibus exemplis addam Q. fr. III, 1, 7: *atque* [1]) *utinam his diebus in Arpinati!* Deinde haec: Att. II, 5, 2: *sic, inquam, in animo est! vellem ab initio!* Att. XIII, 48, 1: *Nescio quid . . . videor exaudisse, cum diceres, te in Tusc. venturum; quod utinam! iterum utinam* (sc. *sit*, nisi forte *facias* supplere mavis). — XIV, 3, 1: *Tranquillae tuae quidem litterae — quod utinam diutius!* Sic etiam saepius post *utinam* verbum *scribendi, agendi, videndi* audiendum est, de quibus postea dicendum mihi erit.

In sententiis relativis

interdum Cicero verbum *esse* omisit, cum res, quae satis notae ei videbantur, leviter et paucis verbis attingebat et in epistulis et in libris philosophicis; cf. Draegeri synt. hist. I p. 173. Att. VII, 3, 5 haec exstant: . . . *video* . . ., *hic omnia facere omnes, ne armis decernatur, quorum exitus semper incerti, nunc vero etiam in alteram partem magis timendi.* Bait., cur maluerit *sunt timendi* — cf. adn. crit. —, non

[1]) De *atque*, quo sententiae vis augetur, cf. Kue. Gr. l. II, 2, 647, 9.

video! Att. IV, 3, 3: *de cuius constantia, virtute* (Wes. male *ac* addidit) *tuae verissimae litterae.* — Att. VI, 4, 1: *in quo multa molesta.* — Att. IX, 9, 4: *neque tamen de te, qui maxime meus, cogitavi* codex M exhibet, quem secuti sunt Or., Ern., Sch.; Lambino auctore Bait., Bo., Wes. *meus es* scripserunt. Quibus assentiri nolim: etenim ex antecedente *de te* facile *tu* sumitur. — Att. X, 8, 9: *Tulliam suavissime . . . coluisti — . . . —. uius quidem virtus mirifica.* [Bo. ex hac relativa sententia enuntiationem fecit principalem relative cum priore coniunctam, cum interpungeret: *coluisti — . . . . . minus —. Cuius. . .*]. — Att. XI, 4, 2: *Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis.* [1]) Att. XII, 38, 3 in M codice (et in editionibus Ernestii, Schuetzii, Orellii) sic legitur: . . . *sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima doctoque homine dignissima,* . . .; Lamb. scripsit: *delegerim maxime, quae est liberalissima*; Kl. cum Ursino *del., quae maxime liberalis sit.* Duo sunt, quae viris doctis suspicionem moverunt, alterum, quod *maxime* adverbium coniunctum est cum superlativo *liberalissima*, alterum, quod *est* copula deest. Atque ut primum de hac suspicione dicam, non est, cur copulam desideremus: est enim haec sententia relativa similiter in orationem iniecta atque eae, quas modo commemoravi ex Att. VII, 3, 5 et XI, 4, 2: quibus, si deessent, facile careremus, quia, quae in his dicta sunt, nihil fere valent ad sententiam melius cognoscendam. — De illa autem reprehensione non tam facile diiudicari potest! Bo., qui in adnotatione accuratius in hac quaestione versatum se esse confitetur, Ruhnkenium secutus, qui ad Vell. Pat. II, 27 negavit, integros [2]) esse locos Ciceronis et Livii, ubi *maxime* superlativo adderetur, cum Gronovio *maxime liberalis* scribendum putat et superlativum invectum a libarariis, ut

[1]) *corporis est* Wurzeb.

[2]) sic etiam existimaverunt Ramsh., l. Gr. § 155, Nota 1, p. 506 et Kue; L. Gr. II, 2; p. 983 adn. 23; sed male *sit* post *liberalis* addiderunt.

responderet sequenti superlativo *dignissima*. Quae coniectura probabilis mihi videtur, itaque legendum censeo: *quae maxime liberalis doctoque homine dignissima.* Ex Attici quadam epistula Cicero haec laudat Att. XIII, 40, 1: *Illud optime: sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro*; *est* post *flagitiorum* unus Wes.[1]) addidit (cf. em.[2] p. 134.) — neque id recte; nam Attici verba ita contracta sunt, ut verbum *est* vix desideretur, sive revera haec Attici verba sunt, sive putas Ciceronem hanc sententiam ex Pomponii epistula non ad verbum transtulisse, sed in suam dictionem formasse. Att. XIV, 2, 2: *Altera epistula de Madaro scripta, apud quem nullum φαλάκρωμα, ut putas* in rescribendis litteris, sicut saepe, *est* omissum est. — Att. XVI, 8, 1: *Veteranos, qui quidem Casilini et Calatiae, perduxit ad sum sententiam* cur viri docti *sunt*, quod in M codice deest, in textum receperint, ignoro: nam verbum *esse* translate usurpatum non semel in epistulis omissum esse, supra p. 34—35 commemoravi. — Brut. I, 15, 4: . . . . *quorum alter inconstantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio*, in moribus describendis, ut saepissime, deest copula. — fam. XIII, 28a, 1 (Cic. ad. Serv.) quod Wes. olim, em.[1] p. 98 adn., coniectura effecerat: *quae mihi omnia grata sunt, de* [ex codicis M scriptura: *grata; sed de*] *L. Mescinio gratissimum*, ipse postea repudiavit scribendumque censuit [cf. em.[2] p. 43—44]: . . *grata sunt, sed de* . . Mihi vero nec prior Wesenbergii coniectura placuit, nec posterior placet: in eo equidem viro illi doctissimo assentior, *sed* nullo modo carere nos posse: nam Cicero, postquam universe, quid de commendationibus sentiret, initio epistulae cum Servio communicavit, ad id se vertit, quod sibi proposuerat, ut gratias ei ageret tantae benevolentiae in Mescinio accipiendo probatae. *Sed* autem Wes. si servat, non iam habet, cur *grata sunt* scribat:

[1]) Iniuria, opinor, etiam Att. V, 21, 3 in Attici verbis: *Tibi, ut video et spero, nulla ad decedendum mora* ante *mora* addidit *erit*, Bosii Tornaesianum secutus.

nam olim, em.[1] l. l. probare studuit, in codicibus saepius *sunt* in *sed* depravatum esse [quod sane est in ep. Cic. ad Lent. data, fam. I, 8, 3: *ea sublata tota sunt* (*sed* M) *nec mihi magis quam omnibus.*], quod in hunc locum non iam quadrat. Itaque equidem M codicis scripturam sequi malim *quae mihi omnia grata; sed de L. Mescinio gratissimum.*

Restat, ut ea afferam exempla, in quibus in participio perfecti passivi verbi *esse* formae desiderantur in sententiis relativis. Ac primum quidem, quod in M a manu priore Att. IIX, 1, 3 scriptum est: *in qua neque pacis neque victoriae ratio quaesita umquam, sed semper flagitiosae et cal. fugae.* suo iure viri docti repudiata hac scriptura manum alteram secuti sunt, quae exhibet: *quaesita sit umquam.* Wesenbergii coniectura *quaesita est umq.* displicet multoque etiam magis Bootii, scribentis; *quaesita umquam est, semper* . . . — Att. XI, 24, 2: *vide, quaeso, etiam nunc de testamento, quod tum factum, cum illa haerere* (sic corr. ex M codicis *querere*) *coeperat.* Wes. *est* post factum addidit, quod Cicero in relativis sententiis sic non audiret (cf. em.[2] p. 126), Bootiusque eum secutus est. Sed errasse mihi videtur doctissimus vir: nam similia nonnulla leguntur velut Att. XIV, 9, 3: *et Balbus hic est multumque mecum, ad quem a Vetere litterae datae pridie Kal. Jan.*, ubi nemo adhuc *sunt* addere voluit. — Simile id quoque est, quod exstat in ep. Cic. ad Planc. data, fam. X, 6, 3: *Complures in perturbatione rei publicae consulares dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rempublicam consularis*[1]), ubi male Bait. et Wes. hanc codicis M scripturam mutaverunt, addita *est* copula post *habitus*. — De Att. XV, 23: *Silium exspectabam, cui hypomnema compositum; si quid novi!* adhuc dubito, quid scribendum sit: Or. et Bait.,

[1]) *consularis* (M cod.) non *consulari* (Crat., Bait., Wes.,) scribendum esse, recte monuit Leh., q. T. p. 83, qui laudavit fam. V, 12, 9: *quod alacres animo sumus.* — Att. XI, 12, 4: *quod me audis erectiorem esse animo.* Adde ex Servii ep. ad Cic., fam. IV, 5, 6: *cum te tranquilliorem animo esse cognoro.* In Pison. § 23: *animo consulem esse oportet.*

Bo. et Wes. verbum substantivum post *compositum* inseruerunt; Sch. mutavit: *S. exsp., si quid novi: cui hyp. compositum.* Unus Ernestius Medicei lectionem servat, quod displicet. Fortasse mendum est in verbis *si quid novi* quae tam nude posita numquam in epistulis legi; cum Bootio igitur (cf. Botii adn. ad h. l.) legere malim: . . . . *cui hyp. compositumst. Quid novi* (sc. *est* vel *habes*)? *Est* autem vel *st* saepius in *si* corruptum esse a scribis, satis constat. — Att. XIII, 10, 3: . . . *pro quo quidem etiam sponsorum factus et nimirum id fuit* in codice M male ad nostram aetatem tradita sunt; de coniecturis, quae ad emendandam hanc sententiam factae sunt, vide quae Bait. et Wes. in editionibus adnotaverunt. Fortasse sic recte scribendum est: *pro quo quidem etiam sponsor factus*; *et nimirum id fuit.* Nam cum Bootio persuasum habeo, *sponsorum* ortum esse scribae errore, sequens *nimirum* oculis praecipientis. Omissum autem verbum substantivum nihil habet miri: etenim et hic est brevissimus nuntius, cuius leviter mentionem facit Cicero, et nihil est, cur in *et* atque *nimirum* coniunctis offendamus: nam eiusmodi aliquid saepius occurrit: velut Tusc. I, 22, 52: *et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo* . . . . — III, 14, 40: *Et nimirum haec est illa praestans et divina sapientia* . . . — Brut. 21, 82: *et nimirum is princeps ex latinis.* — De legg. I, 8, 24: *et nimirum ita sunt, ut disputantur.*

In sententiis temporalibus,

in quibus verbum *esse* desit, unum, ni fallor, exemplum legi, quod exstat in ep. Ciceronis ad Curium data, fam. VII, 28, 1: *erat enim multo domicilium huius urbis, cum quidem haec urbs, aptius humanitati et suavitati tuae quam tota Peloponnesus;* sic in mss et in editionibus vulgo legitur: unus Wes. inter voces *urbs* et *aptius* inserit *fuit*, quia post *cum* sic audiri *fuit* Ciceronis non sit — cf. em.² p. 18. Quod equidem haud probaverim: simili enim orationis vi haec dicta sunt atque ea, de quibus p. 42 disputavi: Att. XIV, 5, 2:

si quidem illi magistratus et XIV, 6, 2: *si isti magistratus* [1]).

In sententiis causalibus

ter verbum *esse* desideramus; atque primum exemplum exstat in ep. Cic. ad Corn., fam. XII, 30, 4: *propterea quod et orbus senatus consulibus amissis et incredibiles angustiae pecuniae publicae* (sic M), ubi Lambino auctore Bait. et Wes. *est* post *orbus* addiderunt, quod Or., Ern., Sch. omiserunt. Equidem, quemnam sequar, adhuc sum nescius: neque enim tam est dura ellipsis copulae, ut ferri nequeat, et exstant exempla et additae et omissae copulae in hac locutione, velut Att. II, 12, 2: *Et inimicissimus quidem Caesaris et ut omnia, inquit, ista rescindat* [sed sunt verba Curionis a Cicerone laudata.]; contra est addita Att. XV, 4, 3: *sed et componendum argumentum est et scribendi exspectandum tempus maturius.* Fortasse M. codex veram exhibet lectionem, quam Lambinus, sicut saepius fecit, mutavit — Alterum exemplum legitur in ep. ad Q. fr. I, 1, 14, 40: *sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, secundus autem multo lenior, tertius annus ita debet esse* . . . qua in sententia verba illa *secundus autem multo lenior* et Wesenbergio et Madvigio suspicionem moverunt. Ille enim, em.² p. 60, anacolouthon durius ratus post *lenior* addendum censuit *fuit*; quod ego non addendum, sed cogitatione supplendum puto. Madvigii autem coniectura, qui, advers. crit. III, 192, opinatus est, Ciceronem scripsisse *secundus autem annus multo leniorem*, propterea mihi probabilis non videtur, quia *plurimo sermonis* non bene opponitur *lenior sermo.* — Etiam hoc loco, ut saepissime, cavendum nobis est, ne putemus, Ciceronem in epistulis tam limatum dicendi genus consectari, quali in orationibus utitur:

[1]) Eiusmodi etiam sunt, si solum sensum respicias: Att. X, 1, 2: *iam actum aliquid esse in consessu senatorum — senatum* (sic fort. recte Bait.) *non enim puto.* — XVI, 4, 1: *venisse a Sexto cum litteris ad consules sive quo alio nomine sunt.* — fam. VII, 30, 1: (Cic. ad Cur.): *Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant.*

in his, quae multis et eruditis audientibus viris habebantur, nisi perpolitam dictionem non invenias, in illis autem, quibus cum amicis tamquam secum ipso loqui solebat — ut ait ipse in ep. ad Att. IIX, 14, 1; XII, 36, 1 —, solutius atque liberius dicendi vel scribendi genus secutus est. — Qua de causa in ep. ad Q. fr. I, 40 nec Wesenbergii nec Madvigii coniecturam probare malim. — Tertium exstat in ep. ad Att. XV, 13, 6: *ego autem in Pompeianum properabam, non quo hoc loco quidquam pulchrius, sed interpellatores illic minus molesti*, ubi Wes. male ante *sed* inserendum putavit *sit* vel *esset*.

De omissis **verbis motum exprimentibus.**

Qui ellipsis usus ibi facile cognoscitur, ubi vel temporis vel loci significatio verbum *movendi* omissum esse docet.[1]) Atque talia iam apud Terentium leguntur, velut in Andr. II, 2, 24: *Ego me continuo ad Chremem.* Phorm. I, 4, 19: *Ipsest, quem volui obviam*; cf. Holtze, synt. pr. scr. lat. II p. 22; Draeger H. S. I p. 172, qui recte monuit, in Plauti comoediis hanc ellipsim non inveniri. In Sallustii et Livii libris parcior hic usus est, nullus fere apud Caesarem et Velleium; in Taciti vero scriptis, quippe cuius dictio summa sit brevitate, multa omissi *proficiscendi* verbi exempla occurrunt, ut Annal. IV, 57: *tandem Caesar in Campaniam;* XIV, 8: *Agrippina anxia, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem.* — Ciceronis autem scripta si perscrutamur, ubi maxime *movendi* verba omiserit, in epistulis huius ellipsis usus latissime patet, non ita in ceteris scriptis, e quibus exempli causa haec afferre mihi liceat de fin. III, 2, 8. V, 1, 1. V, 32, 96. de orat. II, 7, 27.

[1]) Universe de hac ellipsi disputaverunt, Naegelsbach, l. l. § 183, 4; Kue., L. Gr. II, 2, p. 1046, 7.

[2]) cf. Draeger, Syntax und Stil des Tacitus, Lipsiae 1868, p. 14. § 35.

Sed in epistulis non solum tum, cum de ipsius itineribus, sive quae fecit, sive quae facturus est, Cicero scribit, verum etiam cum de aliorum profectione familiares certiores facit, ut celerius oratio procedat, haec verba supplenda relinquit. — Cuius ellipsis usum ita tractabo, ut primum eos afferam locos, ubi in sententia principali, deinde, ubi in sententia secundaria vel *proficiscendi* vel *veniendi* verbum deest.

I. In sententia principali

movendi verborum perfectum imprimis tempus et futurum desideramus: nam quod interdum imperativus supplendus esse videtur, eiusmodi ellipses apte coniunguntur cum futuri temporis omissionibus, quia in illis imperativus eandem fere habet vim et notionem atque futurum.

Sed ut ad exempla accedam, leguntur haec fere omissi temporis perfecti in epistulis: Att. II, 12, 2: *ibidem*[1]) *illico puer abs te cum epistulis.* — V, 1, 4. *Ego inde Aquinum.* — V, 20, 5: *Nos ad Pindenissum*[2]). — Att. IX, 18, 3: *Con-*

[1]) *Ibidem* pro *eodem* hoc loco a Cicerone dictum est, sicut bis a Plauto: Trin. 203 = I, 2, 166 et 412 = II, 4, 10; cf. Georges, Lat. Lex. s. h. v.; Holtze, l. l. II. p. 287—288.

[2]) Buech. in M. R. XI, p. 521 sq. sic censet, in copiosa rerum a se gestarum narratione Ciceronem non subito urbis oppugnatae mentionem fecisse, sed intercidisse nonnulla, quibus narrasset, et qua via et qua ratione accessisset ad Pindenissum. Itaque sic fere in lacuna, quae statuenda esset inter voces *ad* et *Pindenissum* legendum esse: *Nos ad [duximus deinde exercitum ad] Pindenissum.* Quam coniecturam ut probaret, epistulam Ciceronis ad Catonem datam — fam. XV, 4 — laudavit Buech., in qua plenius et uberius (§ 10) de his rebus Ciceronem scripisse dixit. Quae viri docti sententia mihi non probatur: etenim, quae epistulae a Buechelero comparatae sunt, comparari non debent: quia, quae scripta est ad Atticum, nihil fere continet, nisi simplicem descriptionem earum rerum, quas gessit, altera autem ad Catonem eo consilio missa est, ut huic viro in republica multum valenti persuaderet, ut Ciceroni triumphum decerneret; quamobrem omnes res suas gestas ornate depinxit, ut facilius quod sibi proposuerat, assequeretur. Itaque Lehmanno (q. T. p. 9) assentiente nihil excidisse ratus codicis M scripturam servabo.

tinuo ipse in Pedanum, ego Arpinum. — X, 17, 1. — XIII, 9, 1. — XIII, 33, 4. — XIV, 3, 1. — XIV, 7, 1. — XIV, 21, 2. — XV, 16a. — XVI, 1, 2. — XVI, 4, 1. — XVI, 7, 5. — Q. fr. II, 3, 2. In ep. ad Att. V, 12, 1, in qua breviter exponit, quo itinere in Asiam profectus sit, multa *proficiscendi* verba desiderantur, fortasse recte etiam *vehendi* verbum, quod certe cogitatione supplendum est in ep. ad Att. XIV, 20, 5: *Eram continuo Piliam salutaturus, deinde ad epulas Vestorii navicula* (sc. vecturus).

Futurum tempus verbi *morendi* in his fere sententiis praetermissum est: Att. V, 12: *Inde domum coenatus.* — V, 21, 9: *Ex Idibus Maiis in Ciliciam.* — VII, 5, 3: *Ego in Tusculanum nihil sane hoc tempore. Sed de Formiano Tarracinam pr. Kal. Jan.* — X, 9, 3.—XII, 44, 3. — XII, 48. — XIII, 25, 2. — XIII, 51, 2. — XIV, 20, 5.— XVI, 1, 6. — XVI, 5, 3.

Imperativum, aut, si mavis, futurum tempus in his fere sententiis supplebimus cogitatione. Att. XII, 47, 1: *Tu igitur, ut scripsisti,* (sc. *venies* vel *veni*), *nec id incommodo tuo.* XIII, 29, 3: *sed, si poteris.* XIII, 31, 1: *cum poteris igitur.* fam. VII, 9, 2 (Cic. ad Treb.): *serius potius ad nos, dum plenior!* [1]) Huc fortasse pertinet, quod scriptum videmus Att. IV, 6, 2: *Quid, si cessare libeat et in otii portum confugere? nequidquam; immo etiam in bellum et in castra* (*eamus* vel *ibimus*). Male in epistulae antecedentis paragrapho tertia Wes. pro codicis M scriptura: *Tu de via recta in hortos* (sc. *veni*) legendum censuit *Tullia de v. r. i. h.*.

Ex iis locis, quos attuli, satis apparet, Ciceronem duabus potissimum in causis verba *movendi* omisisse: desunt enim, et cum in litteris scribendis amici cuiusdam adventum aut profectionem paucis verbis nuntiavit, et cum ipsius sive familiarium rationem itinerum breviter exposuit, fortasse ne legentibus nimia eiusdem vocis repetitione molestus esset;

[1]) De omisso verbo *adesse* vide, quae dixi p. 33—34.

cuiusmodi sunt Att. V, 12, 1; VII, 5, 3; 7, 3; XII, 44, 3; XVI, 6, 1.

II. In enumerandis vero **sententiis secundariis**, in quibus verbum *proficiscendi* omissum est, primum de omisso infinitivo, deinde de coniunctivo dicendum mihi est.

1. a) Ac primum infinitivus saepissime deest post verbum *cogitandi* [1]), cuius ellipsis exempla in epistulis plurima sunt: Att. II, 13, 2: *unde nos pridie Nonas Maias cogitamus* (proficisci.). — IV, 18, 4: *Appius sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat.* — V, 15, 3: *inde ad Taurum cogitabam.* — V, 20, 9. — VI, 2, 6. — IIX, 16, 2. — IX, 1, 2. — IX, 9, 2. — XII, 8. — XIV, 2, 4. — XIV, 18, 4. — XV, 17, 2. — XVI, 2, 4. — fam. VII, 4 (Cic. ad Mar.). — fam. XVI, 17, 2 (Cic. ad Tull.). — Monendum tamen est, ne quis credat post cogitandi verbum Ciceronem semper elliptica oratione usum esse, etiam plenae locutionis exempla exstare in epp., ut fam. XIII, 57, 1 (Cic. ad Therm.): *Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Maiis.*

Apte cum his ellipsibus coniunguntur eae, in quibus infinitivus a *velle* et a *constituendi* verbo pendens desideratur. Exempli causa haec ponam: Att. VI, 7, 2: *Rhodum volo puerorum causa, inde quam primum Athenas.* — IX, 1, 3. — XV, 25. — XV, 21, 3: *At ego iam destinaram, Hydruntem quidem.* — XVI, 10, 1: *statueram enim recta Appia Romam.* — Hoc loco dicendum mihi etiam est de sententia ea, quae in M codice sic scripta est: Att. VII, 7, 3: *Ego, quoniam IV. Non. Jan. compitalicius dies est, nolo eo die in Albanum venire, molestus familiae veniam; III. Nonis igitur; inde ad urbem pridie Nonas.* Bosius autem sic legit: . . . . . *venire, ne molestus sim familiae; veniam* . . . Ac

[1]) De omisso infinitivo *esse* ab hoc verbo pendente vide p. 32—33; de re cf. Naegelsbach, l. l. § 183, 4, qui Schneideri commentationem (in J. Jhrb. f. Phil., vol. 48, p. 120) laudavit. — cf. Rebling, Versuch einer Charakt. der röm. Umgangsspr. Kiel, 1883 p. 32. — Stinner, de eo quo Cic. in epp. usus sit sermone, p. 55.

Medicei quidem scripturam sanam non esse, nemo negabit; Bosii vero coniectura, quam quidem ex Tornaesiano protulisse se fatetur, num veram lectionem exhibeat, dubito. Fortasse rectius servatis M codicis verbis, sed addita particula *ne* scribendum est — id quod fecit Baiter: . . . venire, ne molestus familiae veniam; III. Nonis . . . — Buech. in M. R. XIII, p. 593, qui in iterato *veniendi* voce offendit, infinitivum *venire* deleri iussit: quod non probo: nam quamquam hac ellipsi nihil usitatius est, tamen contra codicum auctoritatem id verbum delere nolim; accedit, quod nihil est, cur in verbi iteratione offendamus; notum enim est, saepius in Ciceronis epistulis, praesertim in iis, quas ad Atticum misit, sermonem non ita elaboratum esse ideoque interdum accidere, ut paucis verbis interiectis eadem vox repetatur. Si exempla requiris, exstat Att. III, 7, 1: *eo die pueri tui m. a te litt. reddiderunt, et alii pueri post diem tertium eius diei alias litteras attulerunt.* — III, 19, 2: . . . *spem aerumnosissimae mulieris Terentiae nec miserrimae mulieris Tulliolae obsecrationem* [sed uncis incl. alterum *mulieris* Bait. et Wes.]. — VI, 1, 2: *Ut si medicus, cum aegrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit* . . . [tertium *medico* Bo. del., Bait. et Wes. uncis incluserunt]. — IIX, 1, 2: *Sic enim parari video, ut . . . paretur fuga.* XVI, 8, 1: *Cum sciam, quo die venturus sim, faciam, ut scias*; et paulo post: . . . *si id putat clam fieri posse, docui per litteras, id nec opus esse nec fieri posse.* [1])

b) Deinde infinitivus praetermissus est in iis sententiis, quae pendent a verbo *dicendi*, quo referenda quoque puto verba *negandi, nuntiandi, scribendi.* Att. II, 1, 5: *Nihil ei novi dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam, at tribus*

[1]) Sic etiam apud comicos per pleonasmum substantivum nonnumquam exiguo intervallo repeti, monuit Holtze, l. l. I p. 343, qui laudavit Plaut. Epid. I, 1, 39; Cist. I, 3, 17 sq. — Ter. Haut. prol. v. 20; Hec. prol. 2, v. 2—3.

horis Roma Interamnam. X, 4, 8. XII, 51, 1: *tu autem significas aliquid etiam ante.* XIII, 40, 1. XIII, 46, 2. XIII, 47a: *Dolabella scribit, se ad me postridie Idus.* fam. X, 26, 1 (Cic. ad. Furn.). Att. XIV, 22, 1. XI, 22, 2. XIII, 30, 2: *Quem quidem negat Eros hodie, cras mane putat.*

c) Denique deest post verba *existimandi*: Att. X, 8, 10: *Quod Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia.* XI, 21, 2: *Illum arbitrabantur protinus Patris in Siciliam.* XIII, 25, 2. XVI, 7, 5. fam. IX, 7, 2 (Cic. ad. Varr.). fam. XVI, 24, 2. Quod in epistula Antonii ad Ciceronem data, Att. X, 8a, 1, in M legitur: . . . *mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni esse. Trans mare credere non possum,* fortasse recte viris doctis in suspicionem venit: etenim et ipsa ellipsis [suppl. *te iturum esse*] durior est, quam quae ferri possit, neque locus in hac epistula eiusmodi breviloquentiae. Itaque *Te iturum esse* ante *trans mare* excidisse Bait. putavit; Wes. editiones Jens., Ascens., Crat., Lamb. secutus, scripsit: *Te iturum trans mare*; Leh. q. T., coniectura effecit: . . . *magno esse (dolori vel stomacho. Te iturum esse) trans mare* . . .

2. Verbi *movendi* coniunctivus desideratur in epp.

a) in sententiis interrogativis obliquis. Cuius ellipsis multa exempla sunt: Att. XIII, 14, 2: *neque adhuc stabat, quo potissimum; sed scies.* — XIII, 2: *Tu igitur,* (Brutus) *si constituerit, quando obviam* [1]) . . ., *scribes.* XIII, 51, 2: *Quintus cras; sed ad me an ad te, nescio.* X, 4, 12. XII, 14, 4. XII, 28, 3. XII, 41, 1. XV, 20, 3. XVI, 6, 1.

b) in sententiis finalibus, imprimis post *suadendi* et *monendi* verbum: Att. VII, 21,2: *Consul ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum.* X, 2, 1: *Ego cum . . . essem Minturnis postridie mansurus, ut inde protinus, sustinui me in Arcano fratris.*

[1]) Eadem ellipsis *eundi* verbi posito adverbio *obviam* legitur in Ter. Phorm. I, 4,19: *ipse est, quem volui obviam,* et Att. IX, 12,1: *quibus Minturnis obvii Caesaris tabellarii.* Verbum et adverbium desiderantur Att. IIX, 9,2: *si quidem etiam vos duo tales ad quintum miliarium.*

[pro *ut*, quod Wes. in textum recepit, in M a manu pr. legitur *et*; m² *et inde* omittit. Sed verum vidisse Wesenbergium (vide em.² p. 119), facile intellegitur ex simili orationis forma, quae est in ep. ad Att. XIV, 7, 1: *Ego e Formiano exiens XVII. Kal., ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec.*]. X, 15, 2. XV, 21; 3. XVI, 14, 2.

3. Nonnulla etiam sunt exempla, ubi in sententiis condicionalibus verba *proficiscendi* vel *veniendi* desiderantur: cuius generis haec fere in epistulis inveni: Att. II, 22, 5: *Sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum.* IIX, 9, 2: *si quidem etiam vos duo tales ad quintum miliarium* (sc. obviam ituri estis; de suppl. verbo cf. p. 55 adn. 1.). XII, 7, 2: *sin ille tardius, ego tamen triduum.* XIV, 7, 2. XV, 17, 2. XVI, 2,6.

Restat, ut eius quoque ellipsis mentionem faciam, qua saepius Cicero in epistulis usus est, cum de re quadam adhuc tractata ad eam se revocat, de qua scribere sibi proposuerat. Talibus in sententiis nonnumquam *revertendi* vel *redeundi* verbum supplendum reliquit [1]). Huius ellipsis exempla occurunt in ep. ad Att. data II, 6, 2: *Sed ut ad rem, scripsi ad . . .* VI. 8, 4: *Sed ad rem!* XIV, 1, 2: *Sed ad propositum! XIV,* 11, 1: *Nudius tertius dedi ad te epistulam longiorem: nunc ad ea, quae proxime.* Quam verbi omissionem non in epistulis solum, sed etiam in philosophicis libris exstare, notum est: exempli causa ponam: de off. III, 33: *Nunc ad propositum.* Acad. II, 5, 13: *Tum ad hos notiores C. Flaminium, L. Cassium, L. Pompeium.* — Sua propria vi usurpatum *revertendi* verbum deest Att. XVI, 4, 2: *Ad ipsum autem Libonem scripsit nihil esse, nisi ad larem suum liceret.*

Extrema iam huius disputationis parte monere mihi liceat, paucas sententias sic esse dictas in epp., ut *discedendi*

[1]) Supra p. 24—25 sic in transitione etiam verbum *esse* desiderari dixi; de omissis *dicendi, audiendi, scribendi, agendi* verbis postea disputandum mihi erit.

potius quam simplex *proficiscendi* verbum subaudiendum censeam. Inter quas hoc loco non numerarim eas, quae leguntur Att. VII, 3, 11: *mihi certum est, ab honestissima sententia digitum* [1]) *nusquam* et in ep. Cic., fam. VII, 25, 2: *Urge igitur ne transversum unguem* [1]), *quod aiunt, a stilo* — quae tractandae erunt, ubi quaestio erit de verbis, quae desunt in sententiis proverbialiter dictis: afferam vero has: Att. XII, 21, 1: *Cur ergo in sententiam Catonis?* (sc. discessum est.). X, 16, 4: *At ego tibi postridie a villa ante lucem, ut me omnino illi ne viderent.* Nam vulgo dicitur *in sententiam alicuius discedere*; altero autem loco hoc verbum aptius mihi videtur quam *proficiscendi,* quia gravius est, ut nostro sermone dicimus: *ich habe mich aus dem Staube gemacht.*

Omissi facien di verbi

exempla in iis scriptis, quorum sermo ad familiarem consuetudinem accedit, non Ciceronis solum sed etiam ceterorum scriptorum, sexcenta sunt. Quae si sub certis capitibus disponere volumus, primum erit et fortasse amplissimum id, quo continentur eae ellipses, quibus adverbio posito [2]) brevissime de re quadam Cicero iudicat. Cuius ellipsis usus, qui in Plauti et Terentii comoediis late patet, apud Caesarem et Velleium raro apparet; (cf. Caes. b. G. V, 33, 1); ceteri autem rerum scriptores nisi in orationibus hanc verbi defectionem non admiserunt. Unus Tacitus, qua est breviloquentia saepissime hac ellipsi usus est.

In Ciceronis vero scriptis multa exstant exempla, cum

[1]) his locis *discedendi* verbum cogitatione addendum esse, ex Att. XIII, 20, 4 apparet: *in omni vita sua quemque a recta conscientia traversum unguem non oportet discedere.*

[2]) De hac ellipsi disputaverunt Handius, Lehrbuch d. lat. St., p. 428. Madvigius ad Cic. de fin. I, 3, 9. — Idem, Gr. lat. § 479. Kue., L. Gr. II p. 1040. 5. — cf. Draeger. H. S. 175 sq.

in orationibus, tum vel maxime in philosophicis libris: maxima vero copia est in epistulis; in quibus qualis sit huius ellipsis usus, breviter considerandum est.

Ac primum quidem Cicero sive epistulae respondebat —qua in re etiam verbum *esse* crebro desiderari supra p. 18 sq. demonstravi — sive rem afferebat, quam ei, ad quem litteras dabat, notissimam esse sciebat — de hac re vide p. 27 sq —, saepissime *faciendi* verbum praetermisit. Cuius ellipsis tres fere formae orationis apte distinguuntur: una, cum brevissime scribit, velut Att. V, 4, 2: *De Torquato, probe*[1]). Similia haec sunt: Att. XV, 2, 2: *De Menedemo, probe.* XV, 3, 2. XVI, 1, 5. IV, 4b, 2 extr. Wes, em.[2] p. 99 in sententia: *tu fac venias et de librariis, si me amas, diligenter* excidisse putat *cures* vel *cura*. quod non probo; in brevi adhortatione verbum saepius omitti a Cicerone, notissimum est.

Altera forma est haec: re, de qua quaestio est, in sententia causali paucis verbis allata, adverbio posito, quae sit sua sententia, aperit. Eiusmodi haec fere sunt: Att. V, 4, 2: *Sed tamen commode, quod cum Scrofa.* XIII, 6, 2: *quod reliquos coheredes convenisti, plane bene*, ubi Ern., Sch., Wes. male illi Bosium, hic editionem Jens. secuti scripserunt: *plane bene fecisti* vel *fecisti pl. b.*: cf. Buech. in M. R. XI, 524. Neque aliter iudicandum est de simili locutione, quae est in ep. 22, 4, huius libri: *Attributos quod appellas, valde probe*, ubi ed. Rom. et Jens., quas male Bo. secutus est, exhibent *probo*. Contrariam culpam in se admisit Or., qui Att. XIII, 26, 1: *De Vergilii parte valde probo* scribendum censuit *probe*. XIII, 27, 1: *Isti autem ingenue mihique gratum, quod. . . .* XV, 7. 17, 2. 21, 2. 29, 1. XVI, 3, 1. 11, 3. In Ciceronis ep. ad Paetum data, fam. IX, 15, 3, nunc recte ex Madvigii coniectura (Cic. de fin. p. 806 ed. II) scribitur: *Quod autem . . . . purgas te non dissuasorem mihi . . . . fuisse, sed*

[1]) Ibidem etiam plenae orationis exemplum legitur: *De Marcello, fecisti diligenter.*

auctorem moderationis, urbane, neque ego aliter accepi; cf. Wes. em.[2] p. 28.

Tertia huic simillima forma est ea, qua in enuntiato relativo rem, de qua iudicium suum profert, paucis verbis significat, ut in his; Att. IX, 10, 3: *Male Tarquinius, qui Porsennam, qui Octavium Mamilium contra patriam, impie Coriolanus, qui* (?) . . *petiit* . . ., *recte Themistocles, qui mori maluit.* fam. IIX, 6, 1: (Cael. ad. Cic.): *neque enim stulte Appius, qui* . . . fam. IX, 26, 3 (Cic. ad Paet.): *An tu id melius, qui* . . . . .

Cum his exemplis coniungam ea, ubi brevitatis causa adverbio tantum, omisso *faciendi* verbo de re quadam Cicero iudicium ponit: sunt vero haec fere: Att. VI, 6, 4: *Numquam essem sine cura, si quid iracundius aut contumeliosius aut neglegentius.* VII, 10: *Adhuc certe, . . ., stulte omnia et incaute.* X, 16, 5. XIII, 10, 3. XVI, 3, 2. 15, 3. XV, 13, 3. fam. VII, 18, 2 (Cic. ad Treb.). Brut. I, 14, 1. Att. XVI, 7, 2: *sed haec, etiamsi non prudenter*[1]), *tamen ἀνεμέσητα sunt.*

Saepissime re quadam plenius et uberius exposita, interrupto sermone, cum finem facit Cicero eius rei, quam adhuc tractavit, in his locutionibus *faciendi* verbum desideratur: Att. IV, 4b, 2: *Sed*[2]) *haec*[3]), *si tibi erit commodum.* — VII, 20, 2: *sed tamen, quantum poteris.* — VII, 21, 3: *Sed tamen, quod me deceat.* — XII, 12, 2: *De Epicuro, ut voles.* — XII, 18, 4. XII, 28, 3. XII, 51, 1. XIII, 22, 4.

Crebro *faciendi* verbum omissum videmus in iis locutionibus, ubi cum substantivo coniunctum unam efficit notionem, ut in his: Att. I, 18, 6: *Crassus verbum nullum contra gratiam* (sc. fecit, ita ut *verbum nullum fecit* idem sonet atque *dixit nihil*);

[1]) simile est, quod legitur de fin. V, 29, 88: *sed haec etsi praeclare* (sc. dicta sunt), *nondum tamen perpolita.*

[2]) cf. Schmalz in Iw. Müllers Hdbch. II, p. 399, qui monuit, tales ellipses imprimis apparere in sententiis a *sed, verum, at* incipientibus.

[3]) sic saepissime in adhortationibus desiderari verba *movendi*, p. 52 dixi. Similiter omittuntur verba *scribendi et mittendi*, de quibus postea dicendum mihi erit.

idem legitur etiam IV, 15, 4 et Q. fr. III, 2, 3. — Att. V, 10, 1: *non mehercule alius ullus sermo nisi de te*; sic etiam XIII, 9, 1: *multus sermo ad multum diem* et XIII, 33, 4: *scilicet casu sermo a Capitone de urbe augenda.* — XI, 21, 3: *Scripsi ad te antea eum . . . nostri nullam mentionem*; atque eadem ellipsis exstat XIII, 41, 1 et XIV, 12, 1. — Duabus in litteris, quae eodem fere tempore datae sunt, haec leguntur: Att. IV, 18, 3: *Candidati consulares omnes rei ambitus* et Q. fr. III, 3, 2: *Candidati consulares quattuor omnes rei.* — XV, 20, 3: *Sed acta missa!* et fam. IX, 7, 2 (Cic. ad Varr.): *sed ridicula missa!* — Q. fr. II, 3, 2: *ei tantus clamor a nostris, ut . . .*; Att. I, 14, 4: *Quid multa? clamores!* — XIV, 5, 1: *Ab aleatore φυρμὸς πολύς.* — IX, 10, 2: *Quae minae municipiis! quae nominatim viris bonis!* XV, 29, 2: *Sed velim quaeras . . . et me certiorem!*[1]) XVI, 4, 2: . . . *nuntiant . . . nuntiatum esse de Caesare, miram laetitiam commutationemque animorum concursumque undique.*

Ex sententiis, quas attuli, facile apparet, partim brevitatis causa hac ellipsi usum esse Ciceronem, velut Att. V, 10, 1. XI, 21, 3. XIII, 9, 1; 33, 4. XIV, 12, 1, partim eo consilio, ut gravior et efficacior sit oratio, ut in his: Att. I, 14, 4; Q. fr. II, 3, 2; Att. IX, 10, 2.

Praeter haec exempla, quae adhuc congessi, multa quoque sunt, in quibus *faciendi* verbum sua propria vi usurpatum vim fere habet verbi *committendi*; quorum ex infinita copia haec afferre mihi liceat: Att. III, 8, 2: *Maneo Thessalonicae suspensus nec audeo quicquam*; similiter XIV, 19, 6: *neque quicquam tamen, antequam te videro.* IV, 11, 2: *perscribe ad me, ... quid censores* (fecerint.), cui sententiae simillima est, quae legitur in Cic. ep. ad Tir. fam. XVI, 24, 2. — Att. VII, 11, 3. XV, 13, 6. Att. I, 16, 12: *alterum, cuius domi divisores habitarent, adversus rem publicam,* Wes. em.[2] p.

[1]) Similes ellipses exstant de fin. II, 6. 17: *Finem, inquit, interrogandi.* VI, 1, 1: *finem ille.* — De nat. deor. III, 40, 94: *Cotta finem.*

85 *facere* excidisse putat: additum illud quidem verbum videmus Att. II, 24, 3 et in Caelii ep., fam. IIX, 8, 6, in S. C. et Q. fr. II, 1, 2: sed nihil esse opinor, cur h. l. addendum sit, quoniam facile ex tota sententia subauditur. In Pollionis ep., fam. X, 32, 3, haec sunt: *Illa vero iam ne Caesaris quidem exemplo.* fam. XI, 21, 3 (Cic. ad Brut.), quid scribendum sit, incertus sum: in M sic legitur: *Quod autem scribis te, quod pro te ipso non facias, id pro me, ut de me timeas aliquid, omni te . . . de me metu libero*; sed Cratander inter voces *me* et *ut* inseruit *facere*, et sic Bait. et Wes. scripserunt. Leh. vero, q. T. p. 105, probavit ille quidem inseri verbum *facere*, sed postulavit, ut adderetur inter *facias* atque *id*, ut aeque haec dicta essent atque illa Att. II, 13, 2: *qui haec tam lente, quam ego fero, ferret*; fam. XI, 14, 3: *ego plus, quam feci, facere non possum*; fam. XIII, 17, 2: *puto me hoc, quod facis, facere serius.* Et sane aliquid simile h. l. habet oratio illis sententiis: sed tamen dubito, num quid addendum[1]) sit, et si eiusmodi quid opus sit, utrum rectius Cratandrum an Lehmannum sequamur. — Fam. XVI, 5, 2 (Cic. ad Tir.): *Poteris*[2]) *igitur et facies, si me diligis, ut . . . .*, contra Wesenbergium, qui em.[2] p. 56 negavit, posse recte ex sequente verbo antecedens audiri, persuasum habeo, ex *facias* infinitivum h. l. intellegi posse: idque eo facilius est, quia infinitivus pendet a verbo *posse*, post quod verbum infinitivi ellipsis admodum est usitata: cf. mox p. 62 sq. In ep. Cic. ad Cael., fam., II, 16, 5: *Nam, quod rogas, ut respiciam generum meum, adulescentem . . . carissimum: an dubitas, qui scias, quanti illum . . .* Wes. em.[2] p. 4 suspicatus est excidisse *equidem facio* post *carissimum* aut *num* pro *an* scribendum. Ego vero, quoniam, *an* particula saepius in apodosi usurpatur, cum propositioni

[1]) nam ex *facias*, quod proxime antecedit, facile audiri potest *facere.* Etiam Kue., l. l. II, 2 p. 145 med. infinitivum cogitatione sola supplere iubet.

[2]) cf. Leh., q. T. p. 34.

affirmativae respondet, nihil mutandum censeo: cogitatione enim supplendum est: *idne serio rogas?* — Simile exemplum Hof., cui plane assentior de hoc loco, I p. 200 ex Tusc. I, 36, 87 repetiit. — E Ciceronis de off. III, 29, 105 hoc afferre mihi liceat: *Nam quod aiunt, minima de malis, id est, ut turpiter potius quam calamitose: an est ullum maius malum turpitudine?*

Imprimis *faciendi* verbum omissum videmus in interrogationibus, quae sermonem cotidianum redolent: Att. V, 21, 11: *Quid ais, inquam, possumne contra meum edictum* [de infinitivi a *posse* pendentis ellipsi vide, quae infra dicam]. — X, 1, 1: *Cum ego, Sexte, quidnam ergo?*' XI, 7, 3: *Dices*: ,*Quid illis* [1]). *si victi erunt?*' XIV, 10, 1. fam. III, 12, 3 (Cic. ad App.).

Ut *faciendi* verbum sic *fieri* quoque saepenumero in epistulis desideratur: Att. II, 5, 2: *Exspecto tuas litteras, . . . num quid novi omnino* [2]). VI, 2, 5: *nihil per cubicularium* [3]). IX, 18, 1: *Utrumque ex tuo consilio*. XI, 21. 1. XIII, 25, 2. XIV. 6, 1. fam. II, 10, 1 (Cic. ad Cael.): *De te, quia, quod sperabam, de Hillo*, — . . . —. *quod non putaram* [4]). — Att. XII, 10: *Male mehercule de Athamante!* et insequente epistula; *Male de Seio*. — XV, 10: *si vero aliquid de Decimo gravius*.

Reliquum iam est, ut eorum locorum mentionem faciam, ubi post verbum *posse* infinitivus [5]) verbi *faciendi* vel *fieri* deest. Quorum nonnullos iam attuli p. 61 et hac pagina [6]).

[1]) cf. Kue., L. Gr. II. 1, p. 236, adn. 7.

[2]) sic praesertim in sententiis a *scribendi* verbo pendentibus, cum de rebus quibusdam certior vult fieri, hoc verbum Cicero omisit: Att. VI, 3, 10: *Litteras mitte, quam primum: si nihil, nihil fieri*. IX. 17, 2: *Tu, quaeso, cogita, quid deinde*. X, 13, 3: *Tu, quaeso, si quid in Hispaniis*.

[3]) Similiter Tac. in Agric. 19: *nihil per libertos servosque publicae rei*.

[4]) Wesenbergio, qui em.[2] p. 4 coniecit, ante voces *quod non putaram* excidisse *quia*, quod ex priore membro in altero audire vix liceat, non assentior.

[5]) de omisso infin. *esse* a *posse* pendente cf. p. 38 sq.

[6]) Quibus addendae sunt eae sententiae, in quibus antecedens verbum

Sed maxime hac ellipsi usus est Cicero, ubi, omisso infinitivo *fieri* solum *potest* idem sonat quod *fieri potest* [1]). Eiusmodi autem exempla non in epistulis tantum sed in ceteris quoque scriptis occurrunt; velut in Tusc. disp. I, 11, 23; 31, 77. IV, 18, 41. — In epp. haec fere scripta inveni: Att. X, 4, 1: *Ac deplorandi quidem, . . . sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quaedam, quod profecto potest*. XI, 7, 3: *hic quoque opus est casu, aliqui si* (sic Bait.; om. *si* M) *sint ex eis, aut, si potest, omnes, qui salutem anteponant*. XI, 14, 3. XII, 23, 1. De *quantum pote*, quod legimus in ep. ad Att. IV, 13, 1 iam p. 40 dixi.

Att. V, 17, 4. XII, 40, 2. XII, 21, 4. XIV, 15, 2. fam. I, 7, 7 (Cic. ad Lent.).

Eodem modo legimus saepius *ut solet* omisso verbo *fieri* dictum de iis, quae vulgo et communi quodem more fiunt, velut in Cic. ep. ad Paetum, fam. IX, 16, 7: . . . *quoniam tu secundum Oenomaum Attii, non, ut olim solebat, Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti* [2]).

Sic etiam post *oportet* infinitivum supplendum Cicero reliquit: Att. XV, 11, 2: *Cumque ingressus essem dicere, quid oportuisset* (sc. fieri), . . .

Scribendi verbi omissio

in epistulis, praesertim in iis, quas Cicero misit, usitatissima est. Atque grammatici, ubi in libris quaestio est de ellipsis

cogitatione repetendum est: Att. III, 7, 2: *Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut . . . abstineam, alterum non potes* (sc. efficere), *ut . . .*; sic etiam VII, 22, 2 multisque aliis locis, quos singulos numerare opus non est, quia res notissima est. — Mirae vero hae sunt ellipses: Att. XI, 14, 3: *HS XXX potuisse mirarer* (sc. comparari), et XVI, 9: *Cui ego non posse senatum ante Kalendas Januarias* (sc. *cogi* vel *haberi*).

[1]) cf. Madvig, ad Cic. de fin. V, 28, 84 et Hof., l. l. I, 105 adn.

[2]) cf. Madvig ad Cic. de fin. V, 1, 1 p. 604 ed. II; Draeger, H. S., I. 175: Hofmann in adn., p. 105.

verborum usu, obiter tantum et paucis verbis hanc ellipsim tetigerunt, velut Kue., l. l. II, 2 p. 1041, 6 et Ramsh. p. 1015, § 208, 2; Draeger. H. S. I p. 174—175 summatim de omissis verbis *sciendi, audiendi scribendi*, verba fecit.

Ac primum quidem notissimum est, in tali locutione, qualis est Att. XIV, 9, 3: *ad quem a Vetere litterae datae pr. Kal. Jan., cum . . . teneretur, venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum*, verbum *scribendi* vel *nuntiandi* omitti solere: nihil est enim usitatius, quam e verbo significanter dicto aliud supplendum cogitatione esse, a quo pendeat sententia *venisse . . . Pacorum* [1]). Cuiusmodi exempla plurima in epistulis leguntur: in Cic. ep. ad Varr., fam. IX, 6, 6: *iure* [2]) (Wes. *is*) *enim, si quid ego scirem, rogarat*, [ut scriberem], *quod tu nescires*. Att. XVI, 9: *Binae mihi litterae ab Octaviano*, [in quibus scripsit], *nunc quidem, ut Romam statim veniam*. XVI, 11. 6. XV, 4, 1. Nec minus notus ille est ellipsis *scribendi* verbi usus, de quo Stinner [3]) dixit: saepius participium perfecti passivi, posito solo verbo substantivo, in epp. omissum esse, velut Att. X, 16, 1: *erat enim sic in tuis litteris* [sc. scriptum], *cum venturum . . .*; XI, 7, 2: *in quibus erat*; XIV, 8, 1: *quibus in extremis erat*. fam. X, 20, 2 (Cic. ad Planc.): *in quibus erat*. Sed de hac ellipsi ego sic sentio, *scribendi* verbum cogitatione quidem supplendum esse, verbum autem *esse* solum tam saepe pro *scriptum est* poni, ut illud fere usitatius sit quam hoc: de qua re vide, quae Meissner ad Cic. Tusc. I, 2, 3 disputavit.

Deinde — et hoc est maxime proprium Ciceronis epi-

[1]) cf. Kue., l. l. II, 2 p. 1027 adn. 2 et p. 1047, 8.

[2]) Kraussii coniectura [M. Tullii Cic. epist. emendationes, Lipsiae 1869], legendum esse: *ut scriberem, si quid ego scirem, rogarat . . .* mihi non probatur, primum quod *ut scriberem* nimis longe recedit a codicis vestigiis *iure enim*, deinde, quia *enim* particula carere vix possumus.

[3]) Stinner, De eo quo Cicero in epistulis usus sit sermone. Oppeln, 1879; p. 65.

stularum! — cum amicos adhortatur [1]), ut de re quadam certiorem se faciant, crebro huius verbi imperativum omissum videmus. Qua in re ea fere dicendi forma uti solet, ut, plerumque posito pronomine personali *tu*, postquam breviter rem vel personam, de qua scribi sibi vult, significavit, addat *si quid habes, si quid scies* aut eiusmodi aliquid. Sic legimus Att. IV, 6, 4: *Tu modo quam saepissime ad me aliquid.* X, 14, 2: *haec igitur, si habebis, et talia.* XII, 27, 3: *De Bruto tamen, si quid habebis.* XII, 44, 3: *Sed tamen, si quid habes.* XIII, 27, 2: *De die tamen auctionis, si quid scies.* XIII, 5, 1. 28, 1. 49, 1. XIV, 4, 2. 6, 2. 12, 3. XV, 17, 1. 17, 2. 29, 1. XVI, 13 c. 2. fam. XVI, 24, 2 (Cic. ad Tir.). — Q. fr. II, 15, 5: *Hac de re φιλαληθῶς et, ut soles scribere, fraterne* [quod Bait. Jens. ed. secutus scripsit *et, ut soles, scribe frat.*: usitatior quidem haec locutio est; sed non habet codicis auctoritatem]. Att. XII, 29, 2 in M codice sic traditum est: *Huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius, et de hac re quid tui consilii sit. Mihi persuasum est et eo magis, quod . . .*, et sic etiam Bait. et Wes., probante Lehmanno, q. T. p. 6, exhibuerunt. Neque ego quicquam mutandum puto, quamobrem Mosero non assentior, qui (Specim. IIX p. 6) coniecit scribendum esse: *consilii sit, mihi perscribes*, nec C. F. W. Muellero, qui (Coniect. Tull., Progr. Königsberg, 1860, p. 12 n.) perisse vocabulum, quale esset *exspecto* simileve suspicatus est [2]): saepius enim in epistulis in tali oratione *scribendi* verbum supplendum est, velut Att. XIII, 24, 1: *Quid est, quod Hermogenes mihi Clo-*

[1]) In adhortationibus sic etiam *veniendi* et *faciendi* verba omitti solere apud Ciceronem, monui p. 52 et p. 59.

[2]) Bo. ut haberet, unde sententia *quid tui consilii sit* penderet, novam interpungendi viam ingressus scripsit: *De hortis, quaeso, explica — Caput illud est, quod scis; sequitur, ut . . . loco aptius — et de hac re quid tui consilii sit!* Quae coniectura mihi vehementer displicet: neque enim de hortis quid sentiat Pomponius, Cicero ab Attico certior vult fieri, sed de consilie suo, quod patefecit in sententia illa: *nec enim esse in turba possum nec a vobis abesse.*

dius Andromenem sibi dixisse, se Ciceronem vidisse Corcyrae? XIII, 19, 3: *In Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος . . ., sed quia* [sc. scribis [1]), quod in M omissum, sed in edd. additum est a viris doctis.] *et desiderari a Varrone et magni illum aestimare, eos confeci* . . . — Sic est in Caelii ep. ad Ciceronem, fam. IIX, 13, 2: *quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscam* [2]), ubi male Wes. em.[1] p. 45 sq. n. *cum cognoro, scribam* legendum putavit [3]).

Nonnumquam rogandi verbum additum videmus, velut Att. X, 12 a 3: *Tu quaeso, si quid habebis novi.* X, 13, 3:

[1]) de hac ellipsi postea mihi dicendum est.

[2]) cf. Burg, l. l. p.37; de neglegente orationis conformatione dixit p. 27.

[3]) Qui verbi principalis ellipsis usus cum in hoc tam usitato *scribendi* verbo magnam movet admirationem, tum vel maxime, si eiusmodi sunt verba, ut in scriptis haud facile omissa ea legas: Att. I. 5, 5 in M codice, in edd. Rom. et Jens. sic scriptum est: *Quod scribis, etiamsi cuius animus in te esset offensior, a me recolligi oportere: quid dicas, neque id neglexi* . . ., quam scripturam Ern. servavit, sed in adn. duriorem hanc ellipsim iudicat; Or. et Bait. *teneo*, Schue. *scio*, Mueller et Wes. *video* addiderunt. Lambinus vero, ceteris locis nimis acer in tollendis ellipsibus, h. l. id genus loquendi comicum esse affirmat iubetque cogitatione suppleri aut *scio* aut *video*. — Equidem vero dubito, num recte vir ille doctus iudicaverit: nam et propter sensum et propter *neque*, quod sequitur, *tenenai* vel *sciendi* vel *videndi* verbum, quod in codicibus abest, supplendum mihi videtur. — De iis autem, quae leguntur Att. VII, 18, 3: *Omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine et amico dignum fuerit, cum praesertim rogatus esset —: sed haec non nimis exquiro a Graecis!* sic persuasum habeo, recte ea in M codice tradita, iniuria autem in C et Z *scio* additum esse. Est enim, quod Graevius recte monuit, hoc *ἀνανταπόδοτον*, i. e. enuntiatum non finitum, dictum cum quadam reticentia. Bait. et Wes., Ernestio praegresso, *scio* in textum receperunt; cf. Wes. em.[1] p. 10 et 96. — De sententia in Cic. ep. ad Cael., fam. II, 16, 5 iam supra p. 61 dixi: neque hoc loco quicquam addendum est neque eo, qui in Bruti ep. ad Cic. exstat, fam. XI, 10, 1: *Gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sint in me, exploratum habes; si tamen haec temporis videantur dici causa, malle me tuum iudicium, quam ex altera parte omnium istorum*, ubi Madvigius, adv. crit. III, p. 164 *nosces* inserendum putavit, et Klotzius *mallem* scripsit. Eiusmodi verborum omissiones plures congessit et tractavit Lehmannus l. l. p. 110 sq.

Tu, quaeso, si quid in Hispaniis. XI, 15, 1: *Quaeso, quid sit mihi faciendum.* Att. IIX, 11, 7: *tu ad me velim bonorum sermones* (sed antecedit scribendi vox). XII, 5, 3: *Nunc velim, P. Scaevola . . . quibus consulibus tribunus plebis.* XIV, 20, 2: *De regina velim atque etiam de Caesare illo.* XI, 6, 6: *Sed velim haec aliquando solutiore animo.*

Saepissime etiam perfectum tempus in epp. desideramus. Exempli causa haec afferam: Att. X, 5, 3: *ad me nuper, se HS XXX emisse.* XII, 31, 3: *Haec ad te mea manu*, quod idem legitur XIII, 28, 3. XIII, 22, 5: *Alteris iam litteris nihil ad me de Attica.* — XIII, 40, 1: *Illud optime* [scripsisti: cf. de hoc ellipsis usu p. 18—20; p. 58 sq.].

Nonnumquam etiam *scribendi* verbo oratio caret, cum, re quadam uberius tractata et satis explicata, ad aliam causam se vertit Cicero aut omnino scribendi finem facere se dicit: Att. IIX, 9, 2: *sed apertius, quam proposueram.* Q. fr. II, 6, 2: *sed plura, quam constitueram.* Att. IV, 19, 2: *Sed quid plura! coram* . . . . fam. IV, 8, 4 (Cic. ad Marc.). fam. IV, 14, 3 (Cic. ad Planc.). fam. XV, 4, 15. [1]) Interdum interrupta sic oratione, postea sese scripturum esse nuntiat: Att. XIV, 6, 2: *plura et πολιτικώτερα postea, et tu, quid agas quidque agatur.* XVI, 1, 3: *sed iam sciam et ad te cras.* XVI, 1,6. fam. II, 9, 3. fam. VII, 30, 2 (Cic. ad Cur.): *Sed haec alias pluribus.* [2]) fam. XII, 24, 2 (Cic. ad Cornif.). fam. XII, 20 (Cic. ad Corn.). De illo loco, qui est in Caelii epistula, fam. IIX, 13, 2, iam p. 66 dixi; cui similis est Att. V, 4, 2: *De Masone et Ligure, cum venerint.*

Pauca sunt omissi infinitivi verbi *scribendi* exempla:

[1]) Cum his apte coniunguntur haec fere exempla: fam. VI, 3, 4 (Cic. ad Torqu.): *Sed rursus γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te haec.* — fam. IX, 3, 2 (Cic. ad Varr.): *Sed quid ego nunc haec ad te, cuius domi nascuntur, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας?*

[2]) Male, opinor, Wes. Att. VII, 17, 3: *haec verbis plurimis* ex ed. Jens. scripsit: *pluribus.*

post *posse* desideratur in ep. ad Att. XIII, 21, 2: *Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella?* XII, 33, 2: *Plura enim non possum.* IX, 7 A, 2 (in ep. Balbi et Oppii ad Cic.): *sed cum etiam nunc, quid facturus Caesar sit, magis opinari quam scire possimus* [*possimus* ab Ascensio additum deest in M codice], *non possumus nisi hoc, non videri eam tuam esse dignitatem* ...... ubi ante *non possumus* Wes. em.[2] p. 116 *scribere* addidit, quod mihi non probatur; cf. similes huius verbi ellipses, quas p. 65 sq. attuli. — Ter infinitivum futuri supplendum puto: Att. XII, 23, 1: *Putaram te aliquid novi.* XIII, 44, 1: *Brutus apud me fuit, cui quidem valde placebat, me aliquid ad Caesarem.* XVI, 11, 4: *De tertio pollicetur se deinceps, sed nihil scripsit.*

Ex iis locis, quos attuli, perspicuum esse puto, Ciceronem fere semper brevitatis causa hoc verbum omisisse, cum id maxime ageret, ut in iis epistulis, quas ad amicissimos dabat, contracta et brevis esset oratio. — Pauca sunt exempla, in quibus *scribendi* verbum Cicero supplendum reliquit eo consilio, ut efficacior sit oratio, cuiusmodi sunt Brut. I, 14, 1 et fam. XI, 24, 1, quibus addendum est Att. XIII, 39, 1: *O incredibilem vanitatem! ad patrem, domo sibi carendum propter matrem, ad matrem plenam pietatis!*

Sed priusquam huius disputationis, quae est de omisso *scribendi* verbo, finem faciam, dicendum mihi est de *rescribendi* vel *respondendi* [1]) verbo, cuius ellipsis et in sententiis primariis et in sententiis secundariis occurrit [sed in his rarius quam in illis.]. Exempla haec fere legi: Att. XIV, 6, 2: *Plura et πολιτικώτερα postea* [sc. scribam cf. p. 67.] *et tu, quid agas quidque agatur* [sc. rescribes.] XVI, 9: *Cui ego, non posse senatum ante Kal., quod quidem ita credo.* XIV, 19, 1: *Ad superiores igitur prius.* XV, 3, 1: . . . *ad superiorem igitur prius.* XV, 17, 1. XVI, 11, 1. — Infinitivus desideratur Att. VII, 2, 8: *Cupio ad omnes, sed nihil necesse est.* Coniunctivus deest: Att. X, 10, 1: *vide, quam ad haec παροινικῶς.* Att. XIII, 18: *sed exspecto, quid ad ea, quae scripsi ad te,* quod similiter legitur in Tusc. disp. IV, 20, 46: *itaque expecto, quid ad ista* (sed hoc loco agitur de responso in sermone dato).

1) quatenus responsum datur in sermone, de *respondendi* verbi ellipsi dicam, ubi de *dicendi* verbo omisso disputabo.

Ut verbum *scribendi* saepe in epistulis omissum esse vidimus, sic etiam frequens est

Mittendi vel Dandi

verborum omissio, ubi coniuncta cum *litterarum* vocabulo idem fere sonant quod *scribere*: neque in iis tantum epistulis, quas festinanter a Cicerone scriptas esse facile intellegitur e contracta oratione, haec ellipsis apparet, sed etiam in iis, quas tranquillo animo otiosus scripsit; unde satis certo cognoscimus, hunc ellipsis usum ortum esse ex opportunitate: nam consuetudo sermonis secum ferebat, ut verba tam saepe repetita, quippe quae facile ex enuntiati cohaerentia subaudiri possent, silentio praeterirentur.

In enumerandis sententiis, in quibus hoc verbum desideratur, primum monendum est, crebro in subscriptione (in epp. ad Atticum datis fere semper) id Ciceronem supplendum reliquisse, velut Att. I, 12, 4; 13, 5; 14, 7; 15, 2; 17, 11; 18, 8; 19, 11. e. q. s. Ex epp. ad fam. haec dico: in ep. Vat. ad Cic. V, 9, 2; in Cic. ep. ad Trebat. VII, 19 et VII, 20, 3; in Caelii ep. IIX, 4, 5; in Cic. ep. ad Planc. X, 10, 2; 12, 5; 20, 3; in Planci ep. X, 23, 7 et 24, 8. — Additum videmus participium *datum* [= D.] in Servii Rufi ep. ad Cic. IV, 12, 3; in Vatinii ep. ad Cic. V, 10 b; in Cic. ad Treb. VII, 13, 2; in ep. Curii ad Cic. VII, 29, 2; in ep. Cic. ad Planc. X, 6, 3 et X, 14, 2 multisque aliis locis.

Deinde libenter Cicero vel *mittendi* vel *dandi* verbum in adhortatione omisit, cum ab amico quodam petiit[1]), ut sibi scriberet: cuiusmodi haec sunt: Att. X, 9, 3: *Tu tamen etiam*

1) cf. p. 52, 59, 64—65.

nunc mihi aliquid litterarum et maxime, si quid ab Afranio. X, 16, 6: . . . . *et litterarum aliquid interea!* XVI, 2, 6: *Litteras ad me quam saepissime!* — Crebro perfectum tempus supplendum reliquit: Att. XII, 38, 1: *Non dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum.* XIII, 24. 37, 1. 39, 2. In ep. Cic. ad Cass., fam. XV, 16, 1 est: *Puto te iam* [*iam* Ern. auct. Wes. unc. incl.] *suppudere, quem haec tertia iam epistula ante oppressit, quam tu scidam aut litteram.* — Infinitivum desideramus in his: Att. XIII, 41, 1: . . . *dixi, illum commodas ad matrem litteras, ad te nullas.* XV, 21, 2: *Quinto scripsisti, te ad eum litteras: nemo attulerat.* fam. XVI, 7. (Cic. ad Tir.). Q. fr. II, 2, 1. — Etiam futurum tempus deest: Att. XV, 4, 5: *ego igitur ad eum litteras.* — Quod in Cic. ep. ad Att. XV, 4, 1 in mss et in editionibus legitur: *Mihi duas a te epistulas reddidit, unam XI., alteram X.*, suspectum Wesenbergio est[1]); nam excepto hoc exemplo, inquit, nullum legi in epistulis, ubi in tali locutione *datum* omissum sit: cf. Att. XII, 37, 1: *Duas epistulas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario.* XIV, 20, 1: . . . *alteram Nonis, alteram VII. Idus Lanuvio datas.* XV, 3, 1: *una erat XV. Kal., altera XII data.* XV, 17, 1: *alteram eo die datam, alteram Idibus.* Sed errat Wesenbergius: nam Att. XIV, 19, 1 legitur: *Nonis Maiis cum essem in Pompeiano, accepi binas a te litteras, alteras sexto die, alteras quarto,* de qua verbi *data* ellipsi nullum verbum fecit. Itaque cum ceteris viris doctis codicum scripturam etiam Att. XV, 4, 1 servandam censeo.

Interdum *mittendi* verbum subaudiendum est, ubi notionem habet *dedicandi*, velut Att. XIII, 16, 2: *sed tamen velim scribas ad me, primum placeatne tibi aliquid ad illum* (sc. mitti), *deinde, si placebit, hocine potissimum.* XV, 21, 2: *Quod scribo, cum absolvero.*

Neque vero desunt exempla, ubi hoc verbum sua propria

---

[1]) cf. Wes. em.² p. 137.

vi usurpatum praetermissum a Cicerone est, velut: Att. II, 4, 2: *Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem?* X, 13, 2: *Illud admiror, quod Antonius ad me ne nuntium quidem.* XII, 37, 1. fam. X, 12, 2 (Cic. ad Plancum). Att. XIII, 48, 2. Sed quod in simili ellipsi in Servii Sulpicii epistula ad Ciceronem data, fam. IV, 12, 2: *se a Marcello ad me missum esse, qui haec nuntiaret et rogaret, uti medicos* Draeger, H. S. I, p. 177 *mitterem* cogitatione supplendum putat, mihi vix probatur: sic enim haec Servii epistula scripta est, ut talis omissio ferenda non sit; itaque suo iure viri docti, aliquid excidisse, rati, *cogerem* addidisse mihi videntur.

Dandi verbum in his sententiis desideratur: Att. IV, 15, 6: *deinde Antiphonti operam* (sc. dedi; haec ellipsis apte comparatur cum verbi *faciendi* omissione, de qua p. 59—60 dixi.) X, 12, 1: *Sed satis lacrimis* (sc. datum est, quod Hof. l. l. I p. 163 recte audit; Wes. inter voces *satis* atque *lacrimis* inseruit *de*, ut intellegendum sit *dixi*; sed illud magis placet, quod nihil mutatur.). XII, 7, 1: *De liberalitate, dixi,* (me daturum), *quantum Publilius* . . . XIV, 12, 1: *Scis, quam diligam Siculos* . . . .: *multa illis Caesar* (sc. dedit).[1]).

Neque multo minus frequens quam *scribendi* et *mittendi* (*dandi*) verbi omissio

Accipiendi et **Reddendi** verborum ellipsis est, quae omittuntur, ut celerius procedat oratio. Atque illud quidem supplendum nobis est in sententiis, quae leguntur Att. XV, 8, 1: *Post tuum discessum binas*[1]) *a Balbo — nihil novi —*

---

[1]) Hoc loco breviter monere mihi liceat, quid de addito imperativo *da* in ep. Ciceronis ad Capitonem data, Att. XVI, 16, C, 10, cogitem: qui locus in edd. sic scriptus est: *Amabo te, da mihi et hoc: obliviscere . . . illum suo familiari . . . voluisse consultum, cum . . . ageretur. Hoc primum . . . tueri; deinde, si me amas . . . Ciceroni tuo, quem . . . ferre, totum hoc da, ut . . .;* sed alterum *da* in M et edd. R. et J. omissum a viris doctis ex Z^b et v. c. Lamb. in textum receptum est: opinor, iniuria: nam ex antecedente *da mihi et hoc* a quovis h. l. imperativus cogitatione repeti potuit. Simillima est verborum conformatio, quae legitur in Q. Ciceronis epistula de petitione

itemque ab Hirtio. XV, 21, 3: *Nullas* [1]) *a te XI. Kal.*; *quippe quid enim iam novi?* XIV, 7, 1: *A te scilicet nihil.* Similem verbi omissionem videmus Att. V, 20, 6: *interea e Cappadocia ne pilum quidem*, quod in proverbii usum abiisse Meyer [2]) monuit.

Omissi *reddendi* vel *afferendi* verbi haec fere in epistulis exempla exstant: Att. VI, 1, 19: *at mihi ab eo nihil adhuc.* XIV, 7, 2: *A Cicerone mihi litterae sane πεπινωμέναι et bene longae.* XV, 4, 1: *nescio quid ab eo litterularum.* XVI, 1, 1. 4, 3. 8, 1. 9, 1. 11, 6. 14, 1. fam. XII, 30, 1 (Cic. ad Cornif.). XVI, 7, 1 (Cic. ad Tir.). Aliquid gravitatis inest in his: Att. I, 2, 1: *Abs te tam diu* [sic Bait. et Wes.; *te et tam* Kl. in prooem., *te iam* sublato signo interrog. Bo.] *nihil litterarum?* IV, 8 b, 1: *Apenas vix discesserat*, *cum epistula.*

Nonnullae etiam sunt sententiae, in quibus *afferendi* verbum desideramus, sed in quibus non coniunctum est cum vocabulo *epistulae* vel *litterarum*: has fere dico: Att. IV, 11, 2: *Perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus* [attulerit]. IIX, 11, 5: *Balbus minor haec eadem mandata.* X, 13, 1: *scribes igitur, ac, si quid ad spem* [3]) *poteris,* [sc. *afferre*, nisi *scribere* repetere mavis], *ne dimiseris.* XIII, 29, 3: *Cras te aut causam* [sc. affer: cf. Draeger, l. l. p. 177]. XVI, 13a, 1: *At ego statim Cedo, inquam, si quid ab Attico* [sc. *affers* aut *habes.*]; et similiter dubitari potest, utrum hoc potius quam illud subintellegendum sit, in ep. Cic. ad Tir. data, fam. XVI, 18, 3: *Sed tu nullosne tecum libellos* [*attulisti* aut *habes* =

consulatus [quam Eufsnero auctore Quinti Ciceronis esse nego] I, 3: *Eius facultatis adiumenta . . . ut . . . prompta sint, cura et saepe . . . recordare, deinde ut . . . appareant.*

[1]) Saepius *litterarum* vox deest, ut Att. V, 11, 4: *has dedi.* XIII, 15 *nullas acceperam.* XIII, 19, 5: *Legi tuas de Varrone.* XV, 17, 1: *Duas accepi.* fam. VII, 16, 1 (Cic. ad Treb.): *illas rabiosulas.*

[2]) P. Meyer, De Ciceronis in epp. ad Att. sermone, Bayreuth, 1887.

[3]) Simile aliquid legimus in ep. ad Att. VII, 4, 2: *De rep. autem ita mecum locutus est, quasi n. d. b. haberemus: nihil ad spem concordiae.*

Draeger l. l.]. — De Att. XIII, 51, 2: *Tigellium totum mihi,* ubi *reddendi* verbum audiendum puto, iam dixi p. 4.

De dicendi verbi omissione.

Jam a Plauto et Terentio *dicendi* verbum, cuius ellipsis certis conditionibus omni fere tempore usitatior fuit quam cuiusvis alius verbi, omissum videmus; cf. Holtze, l. l. II, 21, qui nonnulla huius rei exempla attulit, velut Plaut. Poen. V, 2, 101; Men. IV, 3, 22; Ter. Andr. I, 1, 22. [1]) Latissime vero huius ellipsis usus in Ciceronis scriptis patet, praesertim in iis, quorum sermo ad familiarem consuetudinem accedit. — Atque si quaerimus, qualis et quantus hic usus in epistulis appareat, intellegimus, saepissime in transitione, ubi ad aliam rem se vertit, qui scribit, aut ubi finem facit eius rei, de qua adhuc locutus est, orationem *dicendi* verbo carere. Notissimum autem est, sic frequenter brevissime dici: *Quid? Quid igitur? Quid enim? Quid quod?* Multa etiam sunt exempla huius locutionis: *Quid multa?* (Att. V, 21, 11. VII, 4, 3. XIII, 52, 2. XVI, 9. De senect. 21, 78). — *Ne multa!* (pro Clu. 16. Att. VI, 9, 1. X, 11, 1). — *Quid plura?* (Q. fr. III, 4, 1). — *Sed quid ista?* [2]) (Att. XIII, 17). Saepe etiam talia leguntur: Att. X, 11, 3: *De fratre satis.* Att. XIII, 20, 4: *Sed nimium multa de nugis.* XIII, 29, 3: *De hortis satis.* Brut. I, 15, 10: *Satis multa de honoribus.* fam. XV, 20, 1 (Cic. ad Trebon.): *sed de Sabino satis.* Att. X, 8, 10: *Sed hac super re nimis, ne meam ipse συμπάθειαν iam evocem.* [3]) —

[1]) De omisso *dicendi* verbo disputaverunt: Ramsh., l. l. p. 1015 § 208, 2. — Naegelsbach, l. l. § 183, 1. — Madvig, l. l. § 479. — Draeger, H. S. p. 172 et 174. — Kue., L. Gr. p. 1041, 6.

[2]) In simili causa etiam *scribendi* verbum praetermissum esse, demonstravi p. 67.

[3]) Leh., l. l. p. 109, ut sit, unde *ne . . . evocem* pendeat, scribit: *hac super re ne nimis*, ut scriptum est Att. X, 18, 3: *non loquor plura, ne te quoque excruciem*: quod mihi non ita probatur: credo enim, hanc sententiam pendere ab omisso verbo metuendi, ut intellegendum sit: . . . *nimis*

Imprimis frequens est omissio verbi *dicendi* in hac locutione: *sed haec hactenus.*[3])

Crebro in epistulis id verbum omissum est brevitatis causa, ubi ex enuntiati contextu facile suppleri poterat: Eiusmodi autem haec sunt: V, 21, 11: *Multa de syngrapha, de Scaptii iniuriis.* X, 4, 10: *hoc loco multa perliberaliter.* XI, 12, 1. XIV, 17 A, 3 = fam. IX, 14, 3 (Cic. ad Dolab.). Brut. II, 5, 4. Att. XVI, 4, 1: *earum exemplum nobis legit: ... Pauca παρὰ λέξιν, ceteroqui et satis graviter et non contumaciter.*

Interdum omisso *dicendi* verbo notio fere *nuntiandi* vel *narrandi* inest, ut in his sententiis: Att. XI, 4, 1: *Cetera Celer.* XIV, 7, 1: *Postr. Id. Paullum in Caieta vidi; is mihi de Mario et de republica alia quaedam sane pessima.* XV, 17, 2: *de quo mirabilia Messalla.* — Est etiam, ut *addendi* notio omisso verbo insit, ut Att. VII, 2, 8: *Illud tamen de Chrysippo.* VII, 3, 6: *Nunc — . . . . — ad privata venio: Unum etiam de Caelio* [de hoc loco cf. Wes. em.² p. 110]. fam. VII,

[sc. *dixi; vereor*], *ne. . . . evocem;* simile est, quod legitur Att. IIX, 3, 6: *Sit enim nobis amicus; . . . .; deferet triumphum: non accipere,* (sc. vereor) *ne periculosum sit; accipere* (hoc supplendum censeo), *invidiosum ad bonos.* Etiam XV, 13, 4 *vereor* recte audiemus in hac sententia: *sed ne quid ante* (sc. *fiat, vereor.*). — De hoc ellipsis usu apud Plautum cf. Holtze, l. l. II, p. 23.

³) Sic scriptum videmus: Att. V, 13, 2; 20, 9. VII, 11, 2; 18, 2. XII, 49, 2. XIII, 21, 4. XIV, 13, 6; 13 B, 5. XVI, 7, 6. Brut. I, 15, 2. fam. III, 10, 11 (Cic. ad App.). VI, 2, 3 (Cic. ad Torq.). IX, 24, 1 (Cic. ad Paet.). XII, 29, 2 (Cic. ad Corn.) et 30, 2. XII, 25, 7 (Cic. ad Corn.). Neque vero desunt exempla, in quibus accusativus *haec* deest, sed quae viris doctis in suspicionem venerunt: credo, iniuria: sunt autem haec: Att. V, 13, 1: *sed hactenus* (*haec* in textum recep. Bait. et Wes.); quod idem legitur XIII, 9, 1 et XIV, 17, 2. — Quod exstat Att. IX, 7, 3: *ut in Milone, ut in . . . sed hactenus* cum Schuetzio glossatori tribuendum censeo. — Interdum paulo accuratius res, de qua dicitur, significatur: Att. XV, 26, 2: *sed de ludis hactenus.* fam. III, 7, 4: *De Appianis hactenus.* fam. XVI, 24, 1: *De domesticis rebus* (sic Wes. pro codicis *eius*) *hactenus.* fam. II, 1, 1: *Sed de litteris hactenus.*

24, 1: (Cic. ad Fad. Gall.): *Sed pauca de re. — Disputandi* verbum desideratur Att. II, 3, 3: *in qua Σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον*[1]*), sed tamen ad extremum, ut illi solebant, τὴν ἀρέσκουσαν.*

Nonnullae huius verbi leguntur ellipses, quae, quamquam paulo duriores videntur, tamen pro breviloquentia, qua Cicero in epistulis usus est, nihil habent miri: talia haec fere sunt: Att. II, 1, 8: *Equites curiae bellum, non mihi* et similiter in Cic. ep. ad Furn., fam. X, 26, 1: *scribis enim, si in Sextilem comitia* (edicta sint), *cito te* (venturum), *sin iam confecta, citius.* II, 21, 1: *De republica quid ego tibi subtiliter?*[2]) XIII, 20, 4. 51, 1. Brut. I, 2, 5: *De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: . . . —*[3]).

Post *pergere* infinitivus desideratur in his: Att. III, 15, 5: *Sed pergo praeterita* [sc. commemorare.]. IV, 11, 1: *Perge reliqua.* XI, 14, 3: *Quintus pergit, ut ad me et Pansa scripsit et Hirtius* [sc. maledicere]. E Cic. Brut. hoc afferam: *Sed perge, Pomponi, de Caesare.*

Nonnumquam denique *dicendi* aut, si mavis *iudicandi* verbum audiendum nobis est, ubi solo adverbio de re quadam quid sentiat, Cicero significat:[4]) eiusmodi aliquid legimus Att. XIII, 40, 1: *sed ne is quidem . . . . bene de nostro.* Q. fr. II, 15, 5: *quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar?* In ep. Cic. ad Paet. fam. IX, 24, 3: . . . *qui* [sc. sermo] *est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri quam Graeci: illi συμπόσια καὶ σύνδειπνα*[5]). . . ., *nos convivia*[6]).

¹) Similis est omissio verbi in Cic. de fin. IV, 1, 2: *non mehercule, inquam, soleo temere contra Stoicos.*

²) Additum verbum est Att. XVI, 13 c, 2: *De reliquo, quid ego tibi dicam?*

³) Brut. I, 1, 1 in M codice et in ed. Rom. sic legitur: *L. Clodius, tr. p. d., valde me diligit, vel ut ἐμφατικώτερον, valde me amat;* sed ed. Jens. et Crat. *dicam* post ἐμφ. habent, opinor, non recte, quamquam iam a Nonio, qui huius ep. initium laudavit, verbum additum videmus.

⁴) cf. p. 18 sq., p. 58 sq., p. 67.

⁵) Similiter est dictum illud Att. XVI, 14, 3: *mihi non est dubium, quin, quod Graeci καθῆκον, nos officium.*

⁶) Sic etiam legimus in Cic. de fin. I, 18, 61: *multoque hoc melius*

Venio nunc ad eas ellipses, in quibus a *dicendi* verbo omisso accusativus cum infinitivo quem grammatici vocant, pendet [1]). Quae verbi omissio praecipue tum usurpatur, cum ea quae sequuntur, ab eo de quo scribitur, dicta esse facile cognoscimus. Eiusmodi exempla plurima sunt in epistulis: Att. X, 14, 1: *Numquam vidi hominem perturbatiorem metu* — . . . . —: *illum sibi iratum*. . . . XIII, 46, 3: . . . *egi cum Balbo: nihil liberalius: se enim statim ad Caesarem scripturum.* XIV, 1, 1. XIV, 9, 3. — Praemisso praenomine: XVI, 4, 1: *Libo intervenit: is Philonem . . . et Hilarum . . . venisse a Sexto cum litteris ad consules* . . . et similiter in ep. ad Q. fr. I, 2, 10: *is mihi, te ad procuratores suos litteras misisse*. . . Att. XVI, 4, 3: *alii concisos agripetas, alii Plancum . . . . aufugisse.* Att. III, 8, 1. fam. IIX, 1, 4 et 10, 2 [2]). Brut. II, 5, 4. — Ut gravior sit et efficacior oratio, verbum omisit Cicero in ep. ad Att. XV, 11, 1: *Hoc loco fortibus sane oculis Cassius . . . . . se in Siciliam non iturum.* XV, 22: *hic autem noster Cytherius, nisi victorem neminem victurum!* — In his autem, ut quam brevissima sit: Att. V, 21, 12: *Illi se nummerare velle* [3]). VII, 21, 3: *Dolabella, Caelius, me illi valde satisfacere.* XIII, 10, 1. fam. XI, 21, 2 (Cic. ad Brut.).

Iniuria, opinor, viri docti offenderunt Att. XIII, 49, 2: *ait illum me animi conscientia, quod Phameam destituissem, de se suspicari*; ubi Wes. em.[2] p. 134 ex Lamb. ed. 1584 mg *dicere* post *me* [Lamb. post *illum*] addidit: quod cur opus fuerit, non video: nam servata codicis scriptura, quid Cicero scripserit, satis dilucide apparet.

De Att. X, 4, 3: *alter, is, qui . . . . ne sublevabat qui-*

---

nos veriusque quam Stoici; de leg. II, 11, 26: *Melius Graeci atque nostri, qui* . . . .

[1]) cf. Zumpt, l. l. § 772.

[2]) cf. Burg, l. l. p. 38.

[3]) Simillimum est illud Ciceronis in ep. ad Plancum, fam. X, 16, 1: *ille se considerare velle.*

dem, qui se nihil contra huius voluntatem [aiebat, om. M; add. est vulgo ex ed. Rom.] *facere posse* et X, 4, 8: *sed quod popularem* [putaret, om. M. β. h. ed. Jens.] *esse clementiam* quid statuendum sit, pro certo diiudicare non ausim. Id vero monendum est, in simillima orationis conformatione desiderari *scribis* in ep. ad Att. XIII, 19, 3: *sed quia* [scribis] *et desiderari . . . . et . . . . aestimare.* (cf. p. 66) [1]). Sed si quaerimus, haec verba num casu quodam his locis exciderint, an consulto a Cicerone silentio praetermissa sint, equidem sic mihi persuasi, omissa haec esse a M. Tullio verba, quippe quae ex verborum contextu audiri potuerint. Cogitari enim vix potest, tot sententias inter se similes scribae errore verbo carere. — Quibus exemplis addamus licet illud, quod in Acad. II, 27, 88 legitur: *quia cum experrectus esset Ennius, non se vidisse Homerum, sed visum esse*, ubi *diceret* ab editoribus temere adiectum Goerenz suo iure delevit; sed vide Madv. ad Cic. de fin., I, 3, 9 (p. 23.), qui non recte omitti coniunctivi modi verbum scripsit.

Saepius, praecipue cum oratio ad dialogi formam accedit, *inquam* vel *inquit* et verba *interrogandi* et *respondendi* [2]) audienda nobis sunt: de qua re cf. Ramsh. § 186, 4; Zumpt, § 772; Kue. II, 2 p. 1041, 6. Draeger H. S. I, 174. Ac primum quidem *inquam* et *inquit* desiderantur in ep. ad Att. II, 12, 2; XIV, 1, 1; XV, 11, 1. In ep. ad Fadium Gallum (fam. VII, 24, 1.). — *Interrogandi* verbum requiritur in ep. ad Att. II, 12, 2: *Ille ex me, nihilne audissem novi.* XIII, 42, 1: *et ego*: σὺ δὲ δὴ τί σίννους; fam. IX, 19, 1 (Cic. ad Paet.). Att. V, 13, 1 [nimis dure!]: *aut audisse te puto aut* [interrogaturum:] *quid ad me attinet?* similis fere occurrit

---

[1]) Nec minus dura in ep. ad Q. fr. I, 1, 15, 43: *nunc vero sic res sese habet, ut, nisi . . . . respondeant, ego me tantis laboribus tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum* ellipsis est verbi *putem*, quod in editionibus vulgo additum videmus.

[2]) De scriptis responsis dixi p. 68—69.

ellipsis in Cic. de nat. deor. III, 37, 89: *At Diagoras, cum Samothraciam venisset, ... atque ei quidam amicus* [sc. dixisset, quod Lamb. in textum recepit!] ‚*Tu qui deos putas . . .*' — *Respondendi* verbum iam in Terentii comoediis desideramus, velut Eun. III, 1, 41: P.: *At te di perdant!* Gn. *Quid ille, quaeso?* — E Cic. de fin. afferam IV, 1, 2: *Tum ego, Non mehercule soleo temere contra Stoicos* (de om. disputandi verbo cf p. 75). In epistulis haec fere leguntur: Att. VI, 9, 1: . . . *quaero ex Acasto; ille* (respondet) *et tibi et sibi visum* . . . . [Wes. em.² p. 108 *et tibi* unc. incl.]. Att. X, 4, 10: *ad quae ego, me recessum et solitudinem quaerere.* XV, 11, 1. 29, 2. fam. IX, 19, 1 (Cic. ad Paet). XI, 27, 1 (Cic. ad Mat.).

Sed priusquam huius disputationis finem faciam, dicendum mihi est de illa orationis forma, qua ii, qui litteras dant, et initio epistulae et extrema uti solent, cum iubent, eum ad quem scribunt salvum esse. Atque ut primum de eo usu loquar, quem Cicero et ii, quorum litterae cum Tullianis ad nostram memoriam pervenerunt, secuti sunt in inscribendis epistulis: notissimum est, Ciceronem in epistulis ad Atticum datis semper brevissime scripsisse: *Cicero Attico salutem*, excepta una epistula III, 20, quam satis urbane et lepide sic inscripsit: *Cicero s. d. Q. Caecilio Q. F. Pomponiano Attico.* Atque eam rationem servavit etiam in epistulis datis ad eos familiares, quibuscum necessitudine et familiaritate, velut cum Quinto fratre et cum Terentia uxore, coniunctus erat, aut quibus amicissime utebatur, ut Ser. Rufo, Caelio, Paeto, Cassio, Bruto. Sed in epistulis, quas ad hos misit, multae sunt, in quibus praeter brevem illam familiaremque inscriptionem etiam plenior et gravior additis praenominibus honoribusque dictis, apparet posito verbo dicendi: sic scripsit ad Paetum litteras IX, 15, 16, 21 inscriptas *Cicero Paeto sal.*, 17, 20, 22, 23, 25 *Cicero Paeto*, sed 18, 19, 24, 26 inscriptas *Cicero s. d. Paeto* vel *Cicero Paeto s. d.* Quas Ser. Sulpicio Rufo misit epistulas IV, 1—6 et XIII, 17, inscripsit: *M. Cicero s. d.*

Ser. Sulpicio; sed XIII, 18—28b: *Cicero Servio sal.* — In epistulis ad Terentiam datis XIV, 1—6 et 10—24 verbum *dicendi* additum est, epistulae 7—9 carent verbo. Omissum verbum etiam est in epistulis ad Tironem XVI, 2, 10, 13, 14, 15, 17, 18, 19, 20, 21 (Cic. f. ad. Tir.), 22—24, 25 (Cic. f. ad. Tir.); sed 12 inscripta est: *Tullius S. D. Tironi suo.* In 1, 3—9 (excepta ep. 8, quae a. Q. fr. ad Tir. data est) et 11, fortasse quia a compluribus missae sunt (a Cic. patre et filio, et a Q. patre et filio, a Terentia et Tullia), verbum *dicendi* additum est.¹) Ex his iam exemplis apparet, utramque orationis formam usitatam fuisse et breviorem et uberiorem²).

In iis vero epistulis, quae sive publice, sive privatim ad homines in republica multum valentes scriptae sunt, fere semper plena inscriptio et addito verbo et (saepius) additis honoribus est: itaque in epistula ad consules, praetores e. q. s. data — fam. X, 8 — haec legimus: *Plancus imperator cos. des. s. d. coss. pr. tr. pl. senatui populo plebique Romanae*; similia exstant X, 35 (ep. Lepidi), XV, 1 et 2 (epp. Ciceronis). In numerum autem litterarum publice datarum etiam earum magna pars referenda est, quarum exempla interdum Cicero cum suis epistulis ad Atticum misit, ut Att. IIX, 11 A—D;

¹) Monendum est, saepius ab iis, ad quos Cicero plena inscriptione litteras dabat, cum ipsi ad Ciceronem scribebant, brevem illam formam usurpatam esse: velut Marcellus, ad quem Cicero IV, 7—9 litteras misit inscriptas: *M. Cicero s. d. M. Marcello* ad Ciceronem scripsit, ep. 11, *Marcellus Ciceroni sal. plurimam.* Sic legitur VI, 5 et 6: *M. Cicero s. d. A. Caecinae*, sed VI, 7: *Caecina Ciceroni plur. sal.* — Caelius, cum ad Ciceronem litteras dabat, familiari semper inscriptione: *Caelius Ciceroni sal.* usus est, hic vero in litteris ad illum datis, II, 8—16 et 19, pleniore et graviore, velut II, 9: *M. Cicero proconsul s. d. M. Caelio aedili curuli designato.*

²) ita tamen, ut ibi, ubi brevior usurpata est forma, praenomen plerumque omissum sit: neque id tamen certum est: legimus enim — ut exemplum afferam fam. XI, 29: *Cicero Oppio s. d.* et contra XIII, 43, *M. Cicero R. Gallio.*

12 A—D; IX, 6 A; IX, 11 A; 16, 2. X, 8 B; XIV, 13 A et B.

Quae cum ita sint, pro certo id tantum affirmari potest, inter homines amicissimos usitatam fuisse formam ellipticam [*Cicero Attico sal.*], in epistulis publice datis pleniorem et uberiorem [*M. Cicero Imp. s. d. Cn. Pompeio Magno Proconsuli*], sed interdum etiam ab amicis hac uberiore forma usurpatam esse.[1])

Reliquum est, ut paucis verbis exponam, quomodo in fine epistulae Cicero sive quis alius hac orationis forma usus sit: quae saepissime legitur in litteris, quas Cicero ad Atticum misit, perraro autem in epistulis ad familiares datis. In exemplis, quae collegi ex epistulis, totidem fere inveni ellipticae dictonis, totidemque plenae: unde iam apparet, utramque formam aeque fere usitatam fuisse. — Sed si quaerimus, num qua re hae locutiones inter se differant, id fortasse aliquo iure affirmare nobis licet, in plena oratione paulo plus inesse videri verae amicitiae et caritatis quam in elliptica: quod intellegitur ex ipsis sententiis, ,velut Att. VI, 4, 3: *Piliae et puellae Caeciliae bellissimae salutem dices.*[2]) VI, 5, 4: *Valebis igitur et puellae salutem Atticulae dices nostraeque Piliae*: et similiter VI, 8, 5. XII, 24, 3. XIV, 19, 6; 21, 4. XVI, 3, 6 ubi magno cum amore scripsit: *Atticam nostram cupio suaviari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa: referes igitur ei plurimam itemque Piliae dicas velim.* XVI, 6, 4. 7, 8. In ep. ad Ter., fam. XIV, 7, 3 et in ep. ad Tir., fam. XVI, 4, 4. — Omissi verbi

[1]) Cicero cum de sua ipsius re graves ad Caesarem litteras daret, eas inscripsit, Att. IX, 11 A: *Cicero imp. s. d. Caesari imp.*, et similiter in ea, qua C. Trebatium Caesari commendabat, fam. VII, 5: *Cicero Caesari imp. s. d.* Familiari vero allocutione est usus in epp., fam. XIII, 15 et 16: *Cicero Caesari imp. sal.*, quibus Precilium et Crassum illi commendabat.

[2]) Quamquam proxime praecedunt: *Haec festinans scripsi in itinere et in agmine*, tamen *dicendi* verbum addidit!

dicendi exempla si requiris, haec fere legi: Att. II, 9, 4: *Terentia tibi salutem; καὶ Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον τὸν Ἀθηναῖον.* VI, 3, 10: *Piliae et filiae salutem* et sic brevissime etiam scripsit XII, 17: *Piliae salutem.* XII, 26; 27[1]); 28[1]); 31. XIV, 3, 2. XVI, 1, 6. XIV, 2, 4. Paulo uberius scripsit XII, 3, 2: *Tu Atticam, quaeso, cura, et ei salutem et Piliae, Tulliae quoque verbis, plurimam.* XIII, 22, 5. XIII, 49, 1. XIV, 20, 5.

Hac quaestione, quae est de omissis *dicendi* verbis, tenetur etiam ea, qualis sit usus in epistulis ellipsis **Loquendi** et **Agendi** verbi, quorum utrumque saepius omissum est. Atque illud in his fere sententiis desideratur: Att. VII, 3, 2: *utrumque vero simul agi non potest, et de triumpho ambitiose et de republica libere* (sc. loqui: cf. Draeger H. S. I p. 174). XIV, 1, 2: *haec et eiusmodi multa.* Imprimis deesse verbum videtur, ubi persona, quacum verba facta sunt, addita est: Att. IV, 9, 1: *multa mecum de republica.* X, 4, 6. XIV, 1, 1: *Deverti ad illum, de quo tecum mane.* XV, 1a, 1. XVI, 3, 3. fam. XI, 21, 1 (Cic. ad D. Brut.). IX, 8, 2 (Cic. ad Varr.). — Nonnumquam in omisso *loquendi* verbo notio inest *cogitandi*, ut voluerunt Holtze, l. l. II p. 21 et Draeger, l. l. I p. 172, qui ad Ter. Andr. I, 1, 55: *Egomet continuo mecum*[2]): *,Certe captus est'* audiendum putaverunt *cogitavi.* Eiusmodi exempla etiam in epistulis leguntur, praesertim ibi, ubi quae ipse Cicero de re quadam cogitaverit, in oratione recta dixit: velut in ep. ad Varr., fam. IX, 7, 1: *mecum ipse: ,quid hic mihi faciet patri?* Att. XVI, 6, 2: *Mehercule,*

[1]) De asyndeto bimembri *Piliae, Atticae salutem* dubitandum non est! cf. Att. IV, 17, 5: *Drusus, Scaurus non fecisse videbantur.* VI, 1, 13: *Thermum, Silium vere audis laudari.* VII, 21, 3: *Dolabella, Caelius me illi valde satisfacere.* XI, 6, 3: *adhibeantur Trebonius, Pansa.*

[2]) Hanc locutionem veterum poetarum maxime propriam esse, monuit Spengel ad Ter. Ad. 30 et 500. (cf. etiam Landgraf, de Cic. elocut. in oratt. pro Quinctio et Sex. Roscio conspicua, Würzburg 1878, p. 42).

mi Attice, saepe mecum: ‚ἡ δεῦρ' ὁδὸς σοι τί δύναται;‘ Att. IX, 10, 2: *quam crebro illud: ‚Sulla potuit, ego non potero?‘*

In sententiis a me adhuc dictis Cicero *loquendi* verbum omisit, quia placebat, orationem quam brevissime procedere, sed Att. X, 11, 4: *Trebatius erat mecum, ...; quae ille monstra, di immortales* [sc. locutus est]! animo vehementer commotus verbum supplendum reliquit, ut efficacior sit oratio. Simillimum est illud, quod legitur in or. Phil. I, 10, 25: *Quas tu mihi, inquit, intercessiones, quas religiones?*[1])

Venio nunc ad omissa verba *agendi* et *communicandi*, quorum exempla plurima non in epistulis solum exstant, sed etiam in iis scriptis, quorum sermo ad familiarem consuetudinem accedit: cf. Kue. ad Cic. Tusc. III, 5, 10 et Gr. lat. II, 2 p. 1041, 6. Quae ellipsis ibi potissimum a Cicerone usurpata est, ubi, postquam uberius sive reipublicae statum exposuit sive de privatis suis rebus verba fecit, haec scribere se nolle coramque cum eo ad quem scribit, de his rebus comunicaturum dicit[2]). Saepissime autem hac orationis forma usus est: *sed haec coram*, velut in epp. ad Att. II, 17, 2. III, 4, 1.[3]) VII, 3, 12; 8, 5. XII, 47, 2. XIII, 19, 5; 22, 1. XV, 1b, 2. XVI, 7, 6. Fam. IX, 8, 2 (Cic. ad Varr.). XIII, 47 (Cic. ad Sil.). XVI, 17, 1 (Cic. ad Tir.). *Sed haec posterius* legitur in Cic. ep. ad

[1]) Additum verbum videmus in ep. ad Att. IX, 2a, 3: *nihil nisi classes loquens.* IX, 13, 1: *Hic quidem mera scelera loquuntur;* in § 8: *Dolabella merum bellum loquitur.*

[2]) cf. p. 24—25. 56. 67. 73—74. 84—85. 88—89.

[3]) Hoc loco Wes., sicut saepissime (Att. IV, 19, b; VI, 3, 3; VI, 4, 1; VII, 1, 3 e. q. s.) ex codicis *haec* efficit *hoc;* nonnumquam ita de istis pronominibus dubitat, ut ipsum quidem vocabulum mutare non audeat, sed in adn. mutandum coniciat, velut Att. I, 9, 2; II, 7, 4; IV, 4b, 2; V, 20, 9. Sed recte, opinor, Leh. l. l. p. 76—78 de his Wesenbergii coniecturis iudicavit, iniuria saepius virum illum doctum a codicum lectionibus discessisse; idque eo minus esse probandum, quod pluralem numerum talibus in rebus non multum a singulari differre notissimum esset.

Corn., fam. XII, 23, 1 et in Cic. ep. ad Cass., fam. XV, 16, 3. Paucis locis admodum breviter Cicero scripsit: *sed coram*, Att. XII, 21, 2 et XV, 19 1; et similiter in ep. ad Q. fr. II, 6, 2: *coram enim.* Paulo uberior oratio est in his — omisso tamen verbo *agendi* —: Att. VII, 5, 4. XIII, 21, 7. XIV, 20, 2. XV, 4, 4; 22. In ep. Cic. ad Dolab., fam. IX, 14, 8 = Att. XIV, 17 A, 8 et in ep. Cic. ad Cass., fam. XII, 1, 2. — Quin etiam infinitivus et coniunctivus in hac locutione desiderantur: velut fam. V, 21, 2 (Cic. ad Mescin.): *sed et haec et multa alia coram brevi tempore licebit.* fam. VII, 3, 6 (Cic. ad Mar.). Brut. I, 18, 5. Att. XI, 4, 1: *Utinam coram tecum olim potius quam per epistulas*; cf. p. 44.

Omnibus his locis apte et *agendi* et *communicandi* verbum supplere nobis licet: in his autem sententiis, quas dicturus sum, solum hoc verbum suo loco stat: Att, VI, 6, 4: *Quid quae tecum?* X, 16, 4: *‚centuriones . . . me velle . . . convenire‘ — haec mecum Ninnius noster!* XIV, 10, 3. XV, 19, 2.

Frequens est huius verbi omissio, ubi persona addita est [cf. de simili *loquendi* verbi ellipsi p. 81], ut in his sententiis: Att. V, 4, 2: *Sed tamen commode, quod cum Scrofa.* XII, 5, 2. XIII, 16, 2: *Tu cum Pisone, si quid poteris.*[1]) XIII, 50, 3. XIV, 19, 1. XV, 15, 2. 21, 2.

Crebro verbum omisit Cicero, ubi, quid faciendum sibi sit, ignorat: Att. IIX, 3, 5: *qua autem aut quo, nihil sciemus.* IX, 6, 1: *tum reliqua videbimus, id est, et quo et qua et quando.* X, 2, 1: *neque est quidquam, quo et qua.* X, 6, 3: *Ego nunc qua et quo videbo.* XI, 21, 1: *Ad ea autem, quae scribis de testamento, videbis, quid et quomodo.* fam.

[1]) Wes. em.[2] p. 131 in ep. ad Att. XIII, 12, 4 contra Manutii coniecturam Orellio auctore sic recte distinxisse verba mihi videtur: *(Tu) cum Pisone: Erotem habes,* h. e. cum Pisone transige de auro; Er. h., per quem cum Pis. agas. Sed quod *Tu* ante *cum* [quod XIII, 16, 2 exstat] addidit, mihi minus probatur: deest enim etiam in ep. ad Att. XII, 5, 2 in simili locutione pronomen personale.

IX, 7, 2 (Cic. ad Varr.): *Sed quod quaeris, quando, qua, quo, nihil adhuc scimus.*

Aliae denique huius verbi ellipses leguntur Att. VI, 1, 16: *Τὸ παραδοξότατον, usuras, ..., servavit etiam Servilius. Ego sic.* X, 11, 4: *Nos iam nihil nisi occulte.* XIII, 10, 3: *Brutus si quid, curabis, ut sciam, cui quidem quam primum agendum puto,* ubi recte Or. et Bait. *egerit* in M. codice omissum, sed ex Zl, v. c., A. F. additum a Wes. et Bootio, in textum recipiendum non putaverunt. XIV, 20, 2: *Primum, quae de re mea gesta et in solutione et in Albano negotio, grata.* [Bo. erravit, quod *gesta* ex *gesti*=*gessisti* depravatum putavit]. XV, 19, 1: *Mihi autem scribit venire ad me se velle, ut et de suis rebus et quaedam, quae ad me pertinerent.* XVI, 16 A, 6 (Cic. ad Planc.): *Haec illo vivo.*[1])

Att. X, 15, 4: *Vettieno velim gratias* [sc. agas] et Att. XVI, 7, 5: *ego vero austro gratias miras* verbum similiter omissum est atque verbum *faciendi* in exemplis, quae p. 59, et verbum *dandi* in exemplo, quod p. 71 attuli.

Audiendi verbi

ellipsis usus in epistulis praesertim Ciceronis frequens est; saepissime desideratur in sententiis, quibus Cicero eum, ad quem litteras dat, certiorem facit, se de re quadam vel de persona aliquid comperisse. Eiusmodi haec fere sunt exempla: Att. IX, 6, 1: *Nos adhuc Brundisio nihil.* X, 12a, 2: *Sed adhuc nihil secundi.* XIII, 2, 1. 46, 2. 52, 2. XIV, 4, 1. XVI, 14, 1. fam. VI, 18,2 (Cic. ad Leptam.). XV, 17, 3 (Cic. ad. Cass.).

Audiendi vel *cognoscendi*[2]) verbum cogitatione supplendum est Brut. I, 3, 3: *sed haec te malo ab aliis.* Cic. ad Corn.,

[1]) Apud Tacitum scriptum est hist. I, 84: *Vos quidem istud pro me.*

[2]) quod legitur in ep. Cic. ad Plancum, fam. X, 12, 4: *hunc quemadmodum fregerim . . ., ex aliorum te litteris malo cognoscere.* In ep. Cic. ad Trebon., fam. X, 28, 3: *Sed illa cognosces ex aliis.*

fam. XII, 24, 2: *sed haec quoque te ex aliis malo.* — Sic saepius, cum finitur res quaedam, verbum desiderari, iam demonstravi p. 24 sq., 56, 67, 73 sq., 82 sq. — Crebro imperativus intellegendus est, sive *audiendi* sive *cognoscendi* verbi: utrumque enim occurrit, ubi plena est oratio in epistulis.[1]) Exempli causa afferre mihi liceat Att. III, 8, 3: *Nunc ad ea, quae scripsisti* [Wes. cur in adn. ad h. l. *audi* addi voluerit, ignoro.]. IV, 16, 5: *Nunc ad ea, quae quaeris de Catone.* VI, 3, 10: *Haec sunt; etiam illud.* Q. fr. II, 6, 2: *Illud scilicet: coenabis* [*nobiscum*, Leh. l. l. p. 106 addidit; cf. Wes. em.[2] p. 67, qui *mecum* vel potius *apud me (a. nos)* excidisse putavit.], *cum veneris.*[2]) fam. X, 12, 4 (Cic. ad Planc.). fam. X, 32, 4 (Pollio ad Cic.): *sed de illo plura coram; nunc, quod praestat.*[3]) Huc haec quoque pertinere mihi videntur: Att. VII, 3, 5: *Vos scilicet plura, qui in urbe estis.*[4]) XIII, 7, 1: *Haec omnia tu melius*; quod idem fere est in ep. Cic. ad Corn., fam. XII, 23, 4 et Cic. ad Fig. IV, 13, 7 et Cic. ad Varr. IX, 2, 5.

Nonnumquam, cum ab amicis petit, ut certum nuntium sibi mittant, si quid de hac vel illa re audierint novi, Cicero in sententia conditionali *audiendi* vel *sciendi* vel *habendi* verbum omisit: cuius ellipsis exempla sunt haec fere: Att. X, 8, 10: *Tu, si quid de Hispaniis certius et si quid aliud* [*au-*

[1]) Att. I, 14, 6: *sed tamen etiam illud quod non speraram, audi*, et Att. VI, 2, 10: *Cognosce nunc cetera.* — Sic etiam *accipiendi* verbum usurpatum est: Att. IV, 18, 3: *Sed accipe alia*, et IV, 15, 4: *Nunc Romanas res accipe.*

[2]) Equidem vero nihil addendum puto: sunt enim haec scripta cum festinatione in fine litterarum, ut Q. fr. III, 2, 3: *domi recte; et ipsa domus tractatur non indiligenter*; et Att. XIV, 9, 3: *omnia plena pacis:* de quibus vide p. 25, 1. Fortasse etiam absolute positum *coenabis* putari licet: cf. Leh., l. l. p. 13 sq.

[3]) E Cic. Tus. IV, 21, 47 hoc afferri potest: *Reperiam fortasse, sed illud ante.*

[4]) Propter sequens *video* Leh., p. 101 audit *videtis.*

dieris, vel *scies*, vel *habebis*[1])], *dum adsumus, scribes* . . . X, 9, 3: *Tu tamen etiam nunc mihi aliquid litterarum et maxime, si quid ab Afranio.* X, 18, 2. XIII, 9, 2. 21, 2.[2]) XIV, 6, 1.

Sed non solum ubi idem fere sonat

Habendi verbum

atque *audiendi* vel *sciendi*, a Cicerone in epistulis praetermissum est, verum etiam saepius supplendum est, cum sua propria vi usurpatum est, ut in his: fam. XVI, 17, 1 (Cic. ad Tir.): *Sed heus tu, qui κανὼν esse meorum scriptorum soles, unde illud tam ἄκυρον*; XVI, 18, 3: *Sed tu nullosne tecum libellos?* [*habes* vel *attulisti* cf. p. 72.] Att. XIV, 6, 2: *etiamne consules et tribunos plebis in biennium* [sc. habebimus], *quos ille voluit?* XV, 2, 4. 9, 1. XVI, 12. Q. fr. III, 1, 3.

Nonnullae autem sententiae viris doctis in suspicionem venerunt, velut Att. IX, 18, 2: *Sex legiones* Schuetzio et Bootio, qui addiderunt *habet*. X, 10, 4: *Ocellam cuperem, si possem palam* Wesenbergio auctore, qui em.[2] p. 122 negavit audiri licere *habere*[2]), Bo. scripsit *cuperem* (*habere*), cum mentionem faceret sententiae, quae legitur X, 17, 3: *Ocellam vellem haberemus.* Ego vero nihil addendum credo, sed intellegendum sive *habere* sive *convenire* vel *videre*, quae verba sic crebro omissa esse, p. 87 sq. demonstrabo. fam. VII, 7, 4, (Cic. ad. Treb.): *Imperatorem liberalissimum, aetatem opportunissimam, commendationem certe singularem, ut tibi unum timendum sit, ne* .... sane dura ellipsis est praesertim in ea epistula, cuius sententiae ceterae plenae sunt: itaque iam a Cratandro et Victorio verbum *habes* additum videmus, ab hoc post v. *singularem*, ab illo post v. *liberalissimum.* Cratandrum Wes.

[1]) nam *habendi* verbum sic usurpari, intellegitur ex Att. XV, 4, 5: *cum ad te vocabis, et si quid habebis, quod placeat, scribes.*

[2]) in sequente sententia: *quod simulac, continuo scietis*, quod Bo. duram ellipsim ratus scripsit *quod simul atque obtinuero, scies*, suo iure reprehendit Leh. l. l. p. 67.

secutus est (cf. em.[1] p. 111). Bait. autem multo aptius *habes* inter *Imperatorem* et *liberal.* inseruit, quod mihi probatur.

Cuius verbi ellipses, quas adhuc dixi, ab oratione limata abhorrent et et praeter communem consuetudinem a Cicerone usurpatae sunt. Cotidiani vero et familiaris sermonis proprius est ellipsis usus in his: Att. XII, 40, 2: . . . *et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου τι πρὸς Ἀλέξανδρον. sed quid simile?* Ad Fadium Gallum scribit Cic., fam. VII, 23, 2: *Bacchas istas cum Musis Metelli comparas: quid simile?* In ep. ad Paetum, fam. IX, 15, 3: *Catulum mihi narras et illa tempora: quid simile?* In Hor. sat. II, 3, 99 exstat: *Quid simile isti Graecus Aristippus?* Additum *habendi* verbum est in alia ep. ad Paetum, fam. IX, 21, 1.[1])

Denique *habendi* verbum omissum est interdum, ubi cum substantivo coniunctum certam efficit notionem, quod idem monui de *faciendi* verbo p. 59, de *dandi* p. 71, *agendi* p. 84. Eiusmodi sunt: Att. VII, 12, 2: *Ille iter Larinum* [*habebat* Draeger, l. l. I p. 177][2]). 21, 1: *Haec . . . cognovi: nihil in consulibus; nullum usquam delectum.* IV, 1, 7: *Postridie senatus frequens* [*fuit* Wes. em.[2] p. 97; *habebatur(?)*] *et omnes negarunt*; de *et* nihil dubitandum est, quod fecit Wes. l. l., cf. Leh. l. l. p. 62 sq.[3]). IV, 3, 3: *Exin senatus postridie Idus.* XVI, 9, 1: *Cui ego, non posse senatum ante Kal. Jan.* [*haberi* vel *cogi*]. XVI, 11, 6: *Putat senatum statim* [*haberi posse*, vel *cogi posse*].

Videndi[4]) vel Conveniendi

verba saepius in epistulis Ciceronis desiderantur, et cum vidisse se hunc vel illum Cicero nuntiat et cum dubitat, utrum

[1]) De Att. XIV, 6, 1: *Nam de Octavio susque deque* (sc. habeo) et de fam. VII, 31, 2: *ut nec caput nec pedes* (sc. habeant) p. 103 dicendum mihi erit.

[2]) Q. fr. II, 5, 3: *quod ille in Sardiniam iter habebat.* cf. Krause, Stilistische Bemerkungen zu Ciceros Briefen; Progr. Hohenstein 1869.

[3]) cf. p. 28 adn. 1.

[4]) *Videndi* verbum in sermone familiari aeque usurpatum esse atque *conveniendi*, monuit Krause l. l.

eum, de quo scribit, visurus sit necne. Cuius ellipsis exempla sunt Att. IX, 11, 1: *quod cum e viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum in Appia* (vidisse), ... XIV, 10, 3: *Octavius Neapolim venit XIV. Kal.: ibi eum Balbus mane postridie.* — Futurum tempus supplebimus Att. XII, 29, 1: *Silius, ut scribis, (sc.* te conveniet). XIII, 2, 1: *et tamen Pisonem, sicubi* (sc. eum videris), *de auro* (appellabis)[1]): sic Wes. em.[2] p. 131 ad ep. ad Att. XIII, 12, 4 [cf. p. 83, ubi de h. l. disputavi.], et similiter Leh., l. l. p. 67. XIII, 40, 1. XV, 13, 1. 20, 3. XVI, 5, 4. De Att. X, 10, 4: *Ocellam cuperem* cf. p. 86.

Verbi Attinet omissio

sane propria est sermonis cotidiani: itaque frequenter occurrit cum in Plauti et Terentii comoediis tum in philosophicis Ciceronis scriptis et maxime in epistulis. Usurpata autem est haec ellipsis praecipue, ubi is qui scribit ab explicanda re desistens ad novam orationis partem transit: cf. p. 24; 56; 67; 73; 82; 85.[2]) Atque tale aliquid legitur Att. XII, 17: *Quamquam quid*[3]) *ad me?* XIV, 3, 2: *Sed quid haec ad nos?* XV, 13, 7: *Etsi quid*[3]) *ad me?* fam. III, 13, 2 (Cic. ad App.): *Sed hoc nihil ad te.* In simplici deinde et incondita oratione saepius haec ellipsis exstat: Apud Livium XXXIV, 32: *Quid ad vos Romani?* In Cic. Verr. II, 1, 124: *Quid ad eum, qui ius dicit?* Pro Sex. Roscio

[1]) quod idem audiendum videtur Att. XIII, 29, 3: *Clodiam igitur*, nisi mavis ex 31, 4: *Sed aggredere Othonem* sumi *aggrediendi* verbum.

[2]) De hoc ellipsis usu dixerunt Ramsh. l. l. p. 1015, § 208, 2. Zumptius § 770. Kue. § 240, 6. Hof. ad fam. IIX, 1, 4 = I, 118. Leh. l. l. p. 10 et 66.

[3]) Omnibus his locis Wes., em.[2] p. 127, post *quid* addidit *id*; Bait. *id* addidit fam. IX, 26, 3, fortasse addendum putavit Att. XII, 17, non addidit Att. XV, 13, 7; Bo. et Att. XII, 17 et XV, 13, 7 codicis M scripturam servavit idque Halmio [ad Cic. pro Sex. Roscio Amerino 33, 92] auctore recte fecit.

com. § 34 *Quid ad te?* In ep. ad Paetum, fam. IX, 26, 3: *Quid ad te?* — Interdum Cicero etiam hac locutione usus est: *Verum quid ad rem,* quod legitur in or. pro Sex. Roscio Am. § 92, in Phil. or. II, 56 et 72. In ep. ad Att. XII, 40, 2 legitur: *quam bene, nihil ad rem.* Att. XIII, 21, 7: *accedit, si quid hoc ad rem: εὐγενέστερος est etiam quam pater.*

Quod in Caelii epistula ad Cic. data, fam. IIX, 1, 4, exstat: *Quod ad Caesarem, crebri et non belli de eo rumores ... veniunt*, nihil mutandum est. Itaque suo iure Burg, l. l. p 38, Wesenbergium, qui em.[2] p. 18, et Streicherum, qui in comment. philol. Jen. III, p. 211 inter *Quod* et *ad* excidisse putaverunt *attinet*, reprehendit: recte enim monuit, hanc ellipsim defendi cum exemplis eiusmodi, qualia supra memoravi, tum loco ipsius Ciceronis, qui, cum persaepe pleniore formula usus esset, tamen ex vulgari usu verbum omisit in ep. ad Qu. fr. III, 1, 7: *quod ad Pomponiam, si tibi videtur, scribas velim.* Similes ellipses collegit Burgius l. l. et Hof. I, 118 ad fam. IIX, 1, 4.

Omissi Interest verbi[1])

nonnulla in epistulis exempla leguntur. Quod verbum in familiari sermone saepius etiam ab aliis scriptoribus praetermissum esse, intellegimus ex Plauti Amph. 1003 (=III, 4,20): *Quid id* [*id*, om. in mss. nunc inseritur; cf. Leh. l. l. p. 67] *mea?* et ex Senecae epp. XIV, 3, 19, ubi Vahlenus in prooemio hib. a. 1881 p. 10 codicum scripturam: *Quid enim, inquit, mea* servandam esse demonstravit. Eadem ellipsis etiam in Senecae patris controv. exstat p. 415, 24 (ed. Kiessl.): *Nihil inquit, mea, an tu cogaris.* Quae in Ciceronis epistulis huius ellipsis exempla leguntur, fere omnia viris doctis in suspicionem venerunt; velut Att. IV, 5, 3: *quid enim tua? sed viderimus,* ubi Wes. in adn. ad h. l. dubitat, excideritne *interest* vel

[1]) Lehmann, l. l. p. 9.

refert: sed iniuria: nam in simili orationis forma hoc verbum etiam desideratur in Brut. ep. ad Att., Brut. I, 17, 5: *quid enim nostra, victum esse Antonium*; sed hoc quoque loco Wes. em.[2] p. 146 *refert* aut *interest* excidisse suspicatus est, quod audiri vix possit. Sed viro illi doctissimo assentiri nullo modum possum: quid enim illis sententiis, quas ex Senecarum epistulis et controversiis supra attuli, similius est, quam haec dicendi forma? Itaque, quamquam hanc Bruti epistulam subditam esse dicunt, tamen Lehmanno — l. l. p. 9 — plane assentior, hunc locum et Ciceroniano illo loco, Att. IV, 5, 3, et Senecae ep. XIV, 3, 19 et Senecae patris controv. p. 415, 24 defendi; neque aliter Becher iudicavit, in M. R. 37, 1882, p. 591, qui *interest* vel *refert* audiri iubet, vetat in textum inseri.

Quae fam. IX, 6, 6, (Cic. ad. Varr.) leguntur, in M codice sic tradita sunt: *Faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quae temporis huius sint, quae tua audiero, ne quid ignores*; sed haec iam medii aevi epistularum editoribus propter sententiam *quae tua audiero* suspecta fuerunt; itaque editiones nostrae coniecturis affluunt, quas omnes enumerare longum est: cf. Baiteri et Wesenbergii adnotationes ad h. l. Viri docti omnes, quicumque hunc locum sanandum putaverunt, inde profecti esse mihi videntur, fieri non posse, ut infinitivus *interesse* audiatur. Itaque pars eorum omni modo id verbum inserere studuit, velut Schue., Wes., Kayser, pars *tua* corruptum rata, pronomen omnino sustulit, cum scriberent *quaeve* vel *quaecumque* vel *quacumque via*. Quos in eo errasse credo, quod non viderunt, verbis *quae tua audiero* expleri antecedentia *quae temporis huius sint*. Dixit enim Cicero, sese facturum, quod rogatus esset, ideoque scripturum, quae temporis huius essent, ita tamen, ut ea maxime daret, quae Varronis interesse audiret. Unde sequitur, pronomine *tua* carere nos non posse. De infinitivo autem *interesse*, qui non minus necessarius est quam pronomen *tua*, sic persuasum habeo, hunc in mss non excidisse, sed a Cicerone prae-

termissum esse: etenim ex totius orationis conformatione, quid audire debeamus, facile apparet.

Accidit[1]) **huiusque verbi** quaedam formae in his fere sententiis omissae mihi videntur: Att: XIV, 19, 1: *quam commode autem, quod . . . . scripseram.* XVI, 6, 1: *Illud satis opportune: duo sinus fuerunt . . . .* In Cic. ep. ad D. Brut, fam. XI, 14, 3: *nihil tam praeter spem umquam.*

In his vero, quid audiendum nobis sit, utrum verbi *fieri* formae an *accidendi*, dubium sane est: Att. XIV, 11, 1: *Nunc ad ea, quae deinde.* XV, 13, 4: *sed ne quid ante* [sc. *fiat* vel *accidat*]. XVI, 5, 3: . . . *narravit illum valde morari . . . . exspectantem, si qui forte casus.*

Differendi verbum num ex usu quodam familiari in epistulis a Cicerone omissum sit, pro certo haud affirmaverim; eiusmodi enim non est hoc verbum, quod tam frequenter occurat in sermone quam *faciendi* vel *agendi* vel *scribendi* similiaque verba, neque tale, quod, cum in oratione usurpandum est, facile silentio praetermittatur. Eo magis mirandum est, nonnullas in Ciceronis epistulis legi sententias, quae sive *differendi* sive *proferendi* verbo carent. Quarum una est in fine epistulae ad Atticum I, 17; ubi Wes. textum in M codice mendose traditum emendavit, cum vocabula sic distingueret: *Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt, sed in aliud tempus* [sc. differo]. *** *exspectare velis, cures, ut sciam.*

Venio nunc ad alterum locum, qui exstat in ep. ad Att. XIII, 30, 2: *sed in eius epistula nihil erat novi, nisi auctionem biduum;* sic vulgo in mss legitur, quam scripturam Bait. et

---

[1]) Rectius fortasse p. 62, ubi de omissis verbi *fieri* formis verba feci, in adnotatione de hac ellipsi dicendum mihi fuit.

Bo. suo iure servarunt. Wes. autem, qui em.² p. 133 *nisi auctionem biduo* scribendum censuit, cum Manutio in eo erravit, quod infinitivum *fore* a Cicerone omissum putavit. Multo rectius de hoc loco Bo. sensit, qui cum sese revocaret ad ep. ad Att. XIII, 14, 1: *quod si laxius volent proferre diem, poterunt vel biduum vel triduum*, vidit, non *fore*, sed *prolatam esse* intellegere nos debere [1]).

Restat, ut de illo loco pauca verba faciam, qui est in ep. Marci Ciceronis ad Q. fr. II, 13, 3: *M. Curtio tribunatum ab eo petivi* — . . . . —, *sed in alterum annum*; *id et Curtius ita volebat.* Ut expleatur oratio: *sed in alterum annum*, intellegamus necesse est aut *reiectus sum* aut *dilatum est* (vel *dilata res est*), quorum quid huic loco aptius sit nescio.

Hae fere sunt sententiae, quae *differendi* verbo carere mihi videntur; plurimis autem locis additum est, velut Att. X, 14, 3. fam. VII, 4 (Cic. ad Mar.). X, 12, 3 (Cic. ad Planc.) bis. Q. fr. II, 3, 2.

Ducendi quoque verbum

nonnumquam mira ellipsi Cicero in epistulis, quas ad Atticum misit, supplendum reliquit: Legimus enim Att. V, 17, 3: *Cicerones nostros Deiotarus filius*, ..., *secum in regnum* [sc. duxit.]. VI, 9, 5: *Idibus Oct. has dedi litteras, quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones IV* [1]) [ducturus erat.]. IX, 10, 3: *Mihi autem haeserunt illa*: *male Tarquinius, qui Porsenam, qui Octavium Mamilium contra patriam* ubi male Wes. (em.² p. 117), Bo., Leh., l. l. p. 95 verbum addendum censuerunt; cf. p. 59. XIV, 10, 3: *Quod quaeris iamne ad centena Cluvianum* [2]), *adventare videtur*; ex sequentis epistulae § 2: *De Cluviano* — . . . . —, *res, ad centena perducitur* verbum *perducendi* sumendum est.

---

¹) Bootio plane assentitur Schichius in Herma XIIX, p. 598.

²) In responso haec verba omissa sunt: cf. p. 18 sq.; 33 adn. 1; 36—37.

Rogandi vel petendi

verba raro desiderantur in epistulis; cuius ellipsis exempla si paulo accuratius consideremus, apparet, omissa haec verba esse tum, cum Cicero animo perturbatus oratione concitata utebatur, aut cum alii epistulae respondens quam brevissime scribebat. Illius modi autem haec sunt: Att. IX, 18, 1: *Summa fuit, ut ille, quasi exitum quaerens, ut deliberarem.* XII, 5, 1: *Quod autem os, in hanc rem ἔρανον a te* [sc. petere]. XII, 7, 1: *duo attuli*: . . . .; *non satis esse, si haec arma reliquissemus? etiam contraria* [sc. petituros nos esse]? — In respondenda epistula deest verbum Att. XV, 4, 2: *Quod te a Bruto scribis* [sc. rogari]; de coniecturis, quibus affluit haec sententia, dixi p. 33 adn. 1. — Fortasse huc referendum est, quod XVI, 9 initio exstat: *Binae uno die mihi litterae ab Octaviano*, [sc. *in quibus* vel *quibus*] *nunc quidem* [sc. *hortatur*]. *ut Romam statim veniam.* Sed est summa breviloquentia tota epistula et admodum abrupta oratione! Nescio an recte his addam illud, quod in Cic. ep. ad Fadium Gallum, fam. VII, 23, 2 scriptum est: *Martis vero signum quo mihi pacis auctori* [sc. *optem* vel *petam*; sed Draeger, l. l. I p. 179 audit *prodest*] [1]). Sed quod in Cic. ep. ad Ter., fam. XIV, 20 legimus: *ibi ut sint omnia parata* — . . . —; *labrum si in balineo non est, ut sit*, nihil habet miri: nam veterum scriptorum et imprimis Catonis haec dicendi forma, praemisso *ut* vel *uti*, propria est; cuius usus exempla multa congessit Holtzius, l. l. II, p. 161 sq.; cf. etiam Draeger, l. l. I, 288 C a; Kuehner, l. l. II, 1 p. 141, 6, adn.

Venio nunc ad eas sententias, in quibus pars virorum doctorum in mss *velim* vel *fac* ante alteram conjunctivi praesentis personam [in sententiis, qualis est haec: Att. IV, 4 a: *quo die venies, utique cum tuis apud me sis*] excidisse opinata

---

¹) Similia sunt Hor. epist. I, 5, 12: *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* (sc. optem, quaeram.). Ov. am. II, 19, 7: *Quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet?* Sat. II, 5, 102; II, 7, 116. cf. Orelli ad Hor. epist. I, 5, 12: Draeger l. l.; Zumpt § 770.

est, pars servata codicum scriptura nihil mutandum censuit. — Sedprius quam ad ipsa exempla accedamus, deliberemus oportet, utrum concedendum sit, Ciceronem interdum secunda coniunctivi praesentis persona pro imperativo in epistulis usum esse, necne. Constat enim inter grammaticos, aureae latinitatis, quae vocatur, scriptores non admisisse in limata certe oratione eam verborum compositionem, ut *aedifices* idem sonaret quod *aedifica;* sed semper sic egisse, ut *aedifices* nostro sermone reddendum esset *man soll bauen!* cf. Zumptii gr. l. § 529, Kue. II, 1 p. 139—140, 6. Apud veteres autem, apud Plautum et Terentium, saepius antiquus ille et vulgaris usus occurrit, quo altera persona coniunctivi praesentis de subiecto finito pro imperativo ponitur: cf. Holtze, l. l. II, 145 sq., Draeger I, 285. Zumpt, l. l. § 529 adn., Schmalz, Synt. p. 257, Kue. II, 1, p. 140, 6, c.[1]). Quem usum quamquam Cicero in orationibus semper servavit, tamen in epistulis multa leguntur exempla, quae hanc legem evertere videntur. Nonnulli autem viri docti, quippe qui sic sibi persuaderent, talia apud Ciceronem stare nullo modo posse, omnes fere hos locos coniecturis temptaverunt, cum aut *fac* aut *velim* aut simile aliquid adderent. In quibus primo loco commemorandus est C. F. W. Mueller, qui in libello inscripto *coniecturae Tullianae* Progr. Koenigsberg 1860 p. 9 sq. et in J. Jhrb. f. Phil. 1861, LXXXIII, p. 272, adn., id studuit, ut demonstraret, aut intercidisse aliquod *hortandi* vel *rogandi* verbum in libris, aut coniunctivum pendere a tali verbo paulo ante posito. — Sed ego fateor, longe aliter me de hac re iudicare: etenim cum sua sponte veri simili vix est, de duodetriginta similibus exemplis duodecim scribae errore vitiata et corrupta esse, idque in unius Ciceronis epistulis,

[1]) Jn Livii libris et apud posteriores hic usus frequens est: cf. Zumpt, l. l.; Kuehnast, Livian. Synt., Berolini 1872, p. 227, qui nonnulla eiusmodi exempla collegit: III, 48, 4 (ignosce — sinas), VI, 12, 10. XII, 53, 11. XXV, 29, 6. XXVI, 50, 7. — Ante Livium in Corn. Nep. Paus. II, 3 tale aliquid legitur.

tum vel maxime, si respicimus, miram hanc familiarem dicendi formam non esse, qua Ciceronem nisi in litteris ad familiarissimos homines datis usum non esse notissimum est. Qua de causa Muelleri coniecturae vehementer mihi displicent ita, ut nec illi viro docto assentiar nec ceteris, velut Baitero et Wesenbergio, qui nonnumquam a codicum scriptura recesserunt.

In enumerandis eiusmodi sententiis primo loco eas afferam, quas Mueller, l. l., mutata interpungendi ratione sanari posse putavit: sunt autem haec: Att. IV, 6, 4. V, 1, 5. X, 15, 4. XI, 24, 5. XV, 26, 5[1]). fam. V, 2, 6 (Cic. ad Met.). IIX, 4, 5 (Cael. ad Cic.). XIV, 21 (Cic. ad Ter.). Q. fr. I, 3, 10. Quae in M. Ciceronis ep. ad Q. fr. data I, 1, 12, 35, Ern., Sch., Kl. ex M codice exhibent: *potes etiam tu id facere,* — . . . . . . — *ut commemores,* . . . ., *quantum* . . . *debeamus, ut* . . . *publicanos cum Graecis* . . . . *coniungas. Sed et ab iis* [*his* M], ..., *hoc petas, ut* . . . *patiantur*, Muel. servavit, ita tamen, ut ante *sed* non punctum, sed comma poneret. Sed Bait. et Wes. Kahntio praeeunte [symb. crit. p. 11 sq.] scripserunt: . . . *coniungas et ab iis* . . ., quod mihi multo minus placet quam codicum scriptura: male enim coniunguntur *ut publicanos cum Graecis coniungas et ab iis petas, ut patiantur*; rectius mihi videtur, alteram adhortationem [*hoc petas*] opponi iis, quae ex priore monitione [*ut commemores*] sequuntur [*ut coniungas.*][2]).

A *faciendi* aut a *rogandi* verbo in illo latente pendere vult Muel. coniunctivum in Cic. ep. ad Silium, fam., XIII, 64, 1: *Itaque, si ea feceris,* . . . ., *gratissimum mihi feceris*

[1]) De altera coniunctivi perfecti persona pro imperativo usurpata vide Loch, Gebrauch des Imperativus bei Plautus. Progr. Memel 1871, p. 20. — fam. XV, 17, 4 Cic. ad Cass. scripsit: *cum dabis posthac aliquid domum litterarum, mei memineris.*

[2]) Simile aliquid legitur in libello de pet. cons., qui Quinti Cic. esse iure negatur, IIX, 30—31; *Totam Italiam fac ut* . . . *comprehensam habeas, ne* . . . *patiare,* . . .. *perquiras, eosque cognoscas, appetas, confirmes, cures.*

primum de Pausania Al. sustentes rem . . . .; . . *hoc valde te rogo* —, *deinde Nysaeos*, ..., *habeas tibi commendatissimos*. Sequuntur postremo duae sententiae, in quibus post hortationem negativam addita est *ἀσυνδέτως* affirmativa: In ep. ad Plancum, fam. X, 16, 2 Cic. scripsit: . . . *hoc animo esse debes, ut nihil huc reicias neve* . . . . *a senatu consilium petendum putes, ipse tibi sis senatus*, . . . *ducet, sequare, cures, ut* . . . . Alterum exemplum legimus in Cic. ep. ad Tiron., fam. XVI, 9, 4: *Reliquum est, ut* . . . *a te petam, ne temere naviges — solent* . . . . *causa — cautus sis, mi Tiro*. . . .[1])

Hae fere sunt sententiae, in quibus Muel. coniunctivi secundam personam non pro imperativo usurpatam, sed ab antecedente hortandi verbo pendere putavit. Atque in eo viro illi docto libenter assentior, quod Att. X, 15, 4; XI, 24, 5; XV, 26, 5. fam. X, 16, 2; XIV, 21; XVI, 9, 4. Q. fr. I, 3, 10 a *velim* vel *fac* vel *admoneo* coniunctivos pendere monuit; sed num haec coniectura etiam in fam. IIX, 4, 5 et Q. fr. I, 12, 35 (servata M codicis scriptura) quadret, pro certo equidem non affirmaverim, praesertim, si Burgii iudicium respicio, l. l. p. 28 ad Caelii ep. ad Cic., fam. IIX, 4, 5, ubi monuit, *perscribas* coniunctivum de subiecto finito pro imperativo positum antiqui et vulgaris sermonis proprium esse: nam et hoc loco et illo altero, quem supra dixi, tam multa inter utrumque verbum interiecta sunt, ut putare nobis vix liceat, coniunctivum ad praecedens verbum pertinere. — Reliquum est, ut breviter moneam, in omnibus fere sententiis a me modo allatis singulas admonitiones aut omnino *ἀσυνδέτως* positas esse, velut Att. V, 1, 5; X, 15, 4; XV, 26, 5; fam. X, 16, 2; XVI, 9, 4; XIV, 21; Q. fr. I, 3, 10, aut earum extremas partes sine copula additas esse, ut Att. IV, 6, 4.

Sequuntur deinde apud Muellerum novem quae restant exempla, de quibus singillatim vir doctus disputavit. Ac

[1]) De Att. V, 12, 3, quem locum inter has sententias attulit Muel., sed quem aliter intellegendum puto, dicam pagina insequente.

primum quidem, quae Att. V, 12, 3 exstant, virorum doctorum coniecturis sic emendata sunt: *cui rei fugerat me rescribere, de strue laterum, plane rogo, de aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse*. Sed tota sententia huius loci non est: etenim verba *eo sis animo* sic intellegenda sunt, ut altera coniunctivi praesentis persona non imperativi loco stet, sed pendeat a verbo *rogo*, omissa *ut* particula, ita ut verbis hic insit sensus: *De strue laterum* [et] *de aqua, si quid poterit fieri, plane rogo,* [ut] *eo sis animo, quo soles esse*[1]). *Ut* in sermone cotidiano saepius omitti notissimum est: cf. Schmalz in Zeitschr. f. d. Gymn. Wes. XV, 1881 et Kue., l. l. II, p. 808, 2[2]). In epistulis plurima huius ellipsis exempla exstant velut Att. IV, 14, 2. Brut. ad Cic. I, 6, 2; 6, 4; 13, 1. Vatin. ad Cic., fam. V, 10, b. Cic. ad Fad., fam. V, 18, 1. Plancus ad Cic., fam. X, 21, 7 bis et 24, 8. Brutus et Cass. ad Ant., fam. XI, 2, 3 et 3, 4. Brut. ad Cic. fam. XI, 9, 1. — Praesertim in sententiis, in quibus ab enuntiato finali alterum enuntiatum finale pendet, prius *ut* saepius desideratur: velut Att. III, 1: *quamobrem te oro, des operam, ut me statim consequare*. Similiter III, 25. VII, 12, 1. Lentulus ad Cic., fam. XII, 14, 4. Cic. ad Crassip., fam. XIII, 9, 3. Cic. ad Acil., XIII, 34 et 39. Cic. ad Therm., XIII, 57, 2; multisque aliis locis haec omissio apparet. — Ac ne quis offendat in *ἀσυνδέτῳ* bimembri, exempli causa similia ponam, quae leguntur Att. IV, 14, 2: *si quid forte de comitiis, de re publica*. Att. XIII, 37, 4: *De gladiatoribus, de ceteris, quae scribis ἀνεμοφόρητα, facies me cotidie certiorem*. Fam. XIII, 68, 1 (Cic. ad Servil.). fam. XV, 20, 3 (Cic. ad Treb.).

Deinde de iis Muel. dixit, quae in Ciceronis ep. ad Pae-

[1]) Paulo aliter Muel., l. l. p. 10, haec distinxit: *De strue laterum plane* (unter allen Umstaenden) *rogo eo sis animo, quo soles esse, de aqua (quoniam plane non possum) rogo, si quid fieri poterit* (wo moeglich), *eo sis animo, quo soles esse.*

[2]) De hac paratactica dicendi forma vide Helmuth, l. l. p. 62—63.

tum, fam. IX, 16, 7 leguntur, ubi codicis scripturam *nunc cum tam aequo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut, cum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere* viri docti excepto uno Baitero plane alienam a Ciceronis genere scribendi esse iudicaverunt. Sed quod Muellero, Madvigio (advers. crit. III, p. 163), Wesenbergio, Lehmanno (l. l. p. 91) placuit, mihi non probatur: etenim quamquam concedendum est, ab limata et ornata oratione talem dictionem, qualis est *non eo sis consilio*, prorsus abhorrere, tamen in epistula ad Paetum data, quocum magna amicitia coniunctus erat, hic sermo familiaris nihil habet miri.

Ut hoc loco coniunctivum pro imperativo usurpatum Muel. ferendum negavit, sic etiam in his sententiis mancam codicum scripturam arbitratus est: Att. XII, 29, 2: . . . *intellexi, tibi videri, me ab Oppio et Balbo valde diligi: cum iis* (sic M; ex edd. Rom. et Jens. scripsit *his* Bait.) *communices, quanto opere et quare velim hortos*, ubi vel *fac*, vel *velim* intercidisse ratus est. Ego vero Hofmanno assentior, qui in adn. ad fam. XVI, 9, 4 (I p. 161)[1]) nihil mutandum iudicavit. Similia sunt, quae exstant Att. IV, 4a: *Quo die venies, utique cum tuis apud me sis!* IV, 19, 2: *Quo die ad me venies, tu, si me amas, apud me cum tuis maneas!* V, 15, 3 in M recte sic tradita ad nos puto: *sed feremus, modo, si me amas, sit annus; assis tu ad tempus* [restitutum hoc est ex depravato *adsitua tempus*], *ut senatum totum* [sic M²; *totum* om. M¹; *senatum tum* Buech. in M. R. XI, p. 513] *excites*. Sed etiam hos locos Muel. et Bait. coniecturis temptaverunt.

Sequuntur tres sententiae, in quibus coniunctivus viris doctis in suspicionem venit: Att. XII, 37, 4: *Tu mihi de Caninii naufragio quasi dubia misisti: scribas igitur, si quid erit certius.* Att. VI, 9, 5: *Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribas* (sic k; perscribes M). Att. V, 10, 5: *Quam primum poteris, tua consilia ad*

[1]) de fam. XVI, 9, 4 dixi p. 96.

me scribas, ut sciam, quid agas . . . . — Recte, opinor, critici de his sententiis, excepta ea, quam primo loco commemoravi, dubitaverunt: nam quod Att. V, 10, 5 ante *Quam* in M¹ legitur *invecim* (vel *iuncti* in M² β h, vel *iunctim* in Z), cum neutrum probari posset, recte iam in priore editione in *Tu velim* mutatum est a Bootio, quam coniecturam receperunt Kl. et Wes. — In altera sententia, Att. VI, 9, 5 codex M futurum tempus exhibet; coniunctivus *perscribas* exstat in k. — Restat una sententia Att. XII, 37, 4, in qua iam Or. *scribes* legendum censuit, eumque secuti sunt editores praeter Bootium et Klotzium. Equidem his assentiri malim: nam, quamquam in uno libro XII epp. ad Att. dat. Ciceronem decies *scribes*, quinquies *velim scribas*, aliquoties *scribe* dixisse Muel. l. l. monuit, tamen, cum ceteris locis iure coniunctivum mutari negaverimus, etiam hoc loco codicum scripturam servemus necesse est. Quod in verbo *veniendi* vel *adesse* licebat, id non licebit in verbo *scribendi?* — Fortasse cum his recte coniunguntur, quae Att. XVI, 7, 8 legimus: *valde sum commotus; etsi idem te scribere sperare melius: ita plane velim! Ei dicas plurimam salutem et suavissimae Atticae.* [*velim, ei dicas* vc et ed. Rom., vulgo; *velim et dicas* M.]; sic etiam — recte, ut mihi videtur — Bo. scripsit; Baiteri coniectura *velim et ei dicas* et Wesenbergii *velim. Ei dices* vel *velim. Et ei dices* minus placent. — Dubitari potest, num iure in ep. ad Att. XV, 26, 4 coniunctivus *loquare* in futurum tempus *loquere* mutatus sit: legimus enim primum in paragrapho quarta futurum tempus: *M. Aelium cura liberabis*; deinde coniunctivum: *Item de illo Tulliano capite libere cum Cascellio loquare*; tum in enuntiato nimis corrupto: *Octavam partem . . . . memineris* coniunctivum; denique (in paragrapho quinta): *Novi si quid erit, ... , scribas ad me quam saepissime velim, Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excusare tarditatem litterarum mearum* [de Muelleri coniectura, *memineris* ab antecedente *velim* pendere, dixi p. 95]. Quae cum

ita sint, cum semel Cicero futuro tempore usus sit, bis coniunctivo, bis coniunctivo a *velim* pendente, vix esse puto, cur cum Orellio, Muellero, Baitero, Bootio, Wesenbergio *loquere* scribamus; sed certi aliquid statui non potest, quia et corruptissimus totus locus est et oratio summa breviloquentia. — Haud scio an recte cum illa orationis forma: *Octavam partem . . . memineris*; . . . . *scribas ad me quam saepissime velim* comparentur, quae exstant in ep. ad Terentiam, fam. XIV, 4, 3: *Opinor sic agam: si est spes nostri reditus, eam confirmes et rem adiuves; sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes ad me fac venias*, nisi forte in hac sententia prior coniunctivus a verbo *fac* pendet. Ern. et Sch. scripserunt *adiuves. Sin*; recentiores editores, ut ego modo scripsi: *adiuves; sin.*

Restat, ut de tribus exemplis pauca verba faciam, quae Muel. in fine disputationis attulit, ubi coniunctivi alteram personam ab ipso quidem Cicerone positam esse censet, ita tamen, ut pro imperativo posita non sit, sed dicta de praesentia et nostro sermone reddenda *Du solltest*. Quam Muelleri coniecturam duabus de causis probare nolim: primum enim nusquam grammaticos simile aliquid atque Muellerum suspicatos esse vidi: nam in libris nisi de coniunctivo imperfecti sic usurpato nihil praecipiunt. Deinde etiam, qui inest sententiis, sensus tali coniecturae obstat, quod apparebit, si in singula exempla paulo accuratius inquiramus. Quorum unum legitur Att. I, 17, 11: . . . . *exspectare velis, cures, ut sciam*, de quo dixi p. 91. Id tamen satis dilucide apparet, in Ciceronis verbis hunc inesse sensum: multa etiam sunt, quae tecum communicem; sed in aliud tempus ea differam. Quod consilium, si tibi placet, cura, ut de hac re certior fiam, i. e. scribe, ut sciam, utrum assentiaris necne. — Similiter etiam in Cic. ep. ad Paetum coniunctivi secundam personam pro imperativo usurpatam puto, fam IX, 26, 1: interrogat Cicero: *Quid . . . faciam? . . . . angar? excruciemne me? quid assequar? deinde quem ad finem?* Respondet Paetus: *Vivas in litteris*: hoc est nostro sermone: *Lebe doch den Wissenschaften!* non est: *Du solltest den Wissenschaften leben!* His verbis apte comparatur, quod exstat in Horatii sat. II, 1, 4 sq: . . . . *Trebati, Quid faciam, praescribe! — Quiescas! — Ne faciam, inquis, omnino versus? — Aio!* e. q. s. — Aeque nemo mihi persuadebit, ea, quae Cic. ad Terentiam scripsit, fam. XIV, 4, 3 [cf. p. 100], *opinor sic agam: si est spes nostri reditus, eam confirmes et rem adiuves*, sic vertenda esse: *Wenn irgend eine Hoffnung auf meine Rückkehr vorhanden ist, da solltest Du sie stärken und die Sache dadurch fördern!* immo: *da stärke Du sie und fördere dadurch die Sache!* quod facile intellegi potest e sequentibus verbis *quoquo modo potes, ad me fac venias!*

Ex iis, quae dixi, apparet, viros doctos alios cotidianam hanc orationis formam — coniunctivi alteram personam pro imperativo nonnumquam a Cicerone in epistulis usurpari — probavisse, alios abhorrere eam a Ciceronis genere dicendi iudicasse. Illorum autem in numero sunt praeter Ernestium et Schuetzium imprimis Kl., Hof., Bo., in his Muel. et Bait., qui omnes illius coniecturas in textum recepit; Wes. vero animo pependisse mihi videtur, quam partem sequeretur: in textu enim, servata codicum scriptura, coniunctivum defendit, in adnotatione eorum iudicium probasse videtur, qui talem verborum conformationem alienam a Ciceronis genere dicendi putaverunt. Ego quid de hac re sentirem, supra p. 94 iam patefeci: persuasum mihi est, Muellerum quique eum sunt secuti, cum inde profecti sint, Ciceronem, quod in limata et polita oratione numquam coniunctivum pro imperativo posuerit, id ne in epistulis quidem admisisse, nimis longe a veritate aberrasse. Nam in Ciceronis litteris multa leguntur, quae cotidiani maxime et familiaris sermonis propria sunt: eiusmodi autem hanc quoque orationis formam esse, l. l. ex Plauti et Terentii comoediis comprobavi. Quae cum ita sint, nihil est, cur codicum scripturam mutemus, cur pro coniunctivo aut futurum tempus scribamus, aut *fac* vel *velim* simileve aliquid addamus.

In Exclamatione
verbum omissum est in his sententiis: Att. IV, 7, 1: *De Apollonio, quod scribis, qui illi di irati* (sc. sint.). X, 15, 4: *Sed di istos* (sc. perduint)! XVI, 1, 1: *Di hercule istis!* XVI, 11, 5: *Di istis!* XV, 20, 3: *Di illi mortuo, qui umquam Buthrotum.*[1]). Sunt autem haec dicta cum reticentia quadam, quia Cicero verebatur, ne, si plena sententia esset, sacri quid committeret: cf. Holtze, l. l. II p. 23 ad Plaut. Pers. II, 4, 25: *Qui te di deaeque — scis, quid hinc porro dicturus fuerim*; qui vir doctus p. 22 scribit, in verbis mali ominis saepius ellipsim exstare, velut Ter. Andr. IV, 5, 8: *Itane Chrysis?* (sc. mortua est?) Cui sententiae conferamus licet Att. III, 19, 2: *mihi Epirus aut iter ad salutem dabit aut, quod scripsi supra* (sc. mortem). Att. IX, 15, 2: *nihil expedio, nisi ut aut ab hoc tamquam Q. Mucius* (sc. interficiar), *aut ab illo tamquam L. Scipio* (sc. proscribar.). fam. IX, 18, 4 (in ep. ad Paet.): *satius est, hic eruditate, quam istic fame* (sc. perire).

Fortasse in simili ellipsi verbum deest in his sententiis: Att. XIII, 5, 1: *Sp. Mummium putaram in decem legatis fuisse: sed videlicet! etenim εὔλογον, fratri fuisse*; *fuit enim ad Corinthum*, et Att. XIII, 20, 4: *Putas autem me voluisse aliquid, quod perfectum non sit? Non licet scilicet sententiam suam, sed tamen quae . . . .* Utroque loco nonnulli editores mancam orationem existimaverunt. Miror equidem, viros doctos adhuc fugisse, quanta sit utriusque loci similitas: ni fallor, in neutro enuntiato quicquam addendum est. Veritus est enim Cicero concedere, altero loco, se *erravisse* — et iocatus verbum omisit, quasi mali ominis esset — altero loco, Attica sane cum ironia, se de re quadam aliter nunc sentire atque antea, id est, sententiam se *mutasse.*

Extrema iam hac disputatione earum mentionem faciam

[1]) Sed multo saepius verbum additum est: eiusmodi exempla attulit Kuehner, II, 1 p. 138.

sententiarum, quae proverbialiter dictae[1]) **verbo carent;** quae omissio plerumque non ex usu quodam communi — exceptis paucis locis — facta est, sed potius ex brevitatis studio: per enim multis locis apparet, satis habuisse Ciceronem, uno vel altero proverbii vocabulo dicto obiter significasse, quid ipse sentiret; quo referendae sunt eae maxime sententiae, quae Graecum continent proverbium. — Inter ea verba, quae tali in sententia silentio Cicero praeteriit, nonnulla occurrunt, quorum ellipsis saepius in epistulis legitur. Ac primum quidem verbi *esse* formae desiderantur in his: Att. VII, 3, 2: *Quid, si hoc melius?* quod idem scriptum videmus in Cic. ep. ad Silium, fam. XIII, 47. Att. II, 12, 3 de rebus turbatis dicit: *sed tota res etiam nunc fluctuat, κατ' ὀπώρην τρύξ* (sc. ἐστὶ vel *est.*). In ep. Cic. ad Tir., fam. XVI, 23, 2: *ἔγγιον γόνυ κνήμης.*[2])

Verbum *veniendi* desideratur Att. XII, 1, 2: *quid cum coram sumus et garrimus, quidquid in buccam* (sc. venit)? et similiter in Cic. ep. ad Paetum: *ibi loquor, quod in solum, ut dicitur*[3]). *Discedendi* verbum supplendum est in Cic. ep. ad Fadium Gallum: fam. VII, 25, 2: *Urge igitur, nec transversum unguem, quod aiunt a stilo;* in simili ellipsi omissum est Att, VII, 3, 11: *Mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam.* Plena est oratio Att. XIII, 20, 4.

Accipiendi verbum desideratur in Cic. ep. ad Att. V, 20 6: *Interea e Cappadocia ne pilum quidem*; cf. p. 72. *Habendi* verbum in his: Att. XIV, 6, 1: *nam de Octavio susque deque*[4]). In ep. ad Curium, fam. VII, 31, 2: *propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput nec pedes.*[5])

[1]) cf. Landgraf, Bl. f. d. Bayr. Gym. Wes. 1880, XVI p. 274 et 317 sq.

[2]) *Tunica propior pallio* Plaut. in trin. 1154.

[3]) Additum verbum legimus Att. I, 12, 4. VII, 10. XIV, 7, 2. cf. Rebling, Vers. einer Charakteristik der lat. Umgangsspr., Kiel, p. 31 et 33.

[4]) De *susque deque fero* vel *habeo* cf. Gell. N. A. XVI, 9; legitur etiam apud Plaut. Amph. III, 2, 5 hoc proverbium.

[5]) cf. Landgraf, Bl. f. d. bayr. Gym. Wes. l. l.

In ep. ad Paetum, fam. IX, 18, 3 Cicero scripsit: *Veni igitur, si vir es, et disce a me προλεγομένας, quas quaeris; etsi sus Minervam*[1]).

Venio nunc ad ea exempla, in quibus verbum Cicero supplendum reliquit, sive festinanter scripsit, sive putavit, ea quae scripsisset, satis esse ad intellegendam sententiam. Sic *incitandi* verbum semel, ni fallor, omissum est: Att. XIII, 45, 2: *Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem*; sed ex Q. fr. II, 13, 2: *Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem* et ex Att. V, 9, 1: *ut saepe tu me currentem hortatus es* et ex Att. VI, 7, 1: *me quidem certe multum hortante, sed currentem* hortandi verbum illo loco supplendum nobis esset, nisi haec exstarent: fam. XV, 15, 3 (Cic. ad Cass.): *ego, qui festinavi, ut Caesarem . . . . redeuntem ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem, . . .* et de or. II, 44, 186: *facilius est enim currentem, ut aiunt, incitare* unde apparet, usitatam proverbii formam fuisse *currentem incitare*, quod scriptum invenimus etiam Q. fr. I, 1, 16, 45: . . . *ut curentem incitasse videatur.* [2])

Att. XVI, 14, 3: *Sed. ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin . . .* verbum *incidit* cogitatione addendum esse ex Ter. Heaut. III, 3, 37 apparet, ubi haec sunt: *Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit.* Haud scio an recte Att. IX, 5, 2: . . . *maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae quam urbis captae, quod hoc malum ex illo* idem verbum subaudiatur. — Att. XIII, 24 legimus: *Sed quoniam tu suscipis, in alteram aurem* (sc. dormio), quod proverbium apud Graecos natum[3]) Cicero sic immutavit, ut

[1]) cf. Genthe, epistula de proverbiis Romanorum ad animalium naturam pertinentibus, Hamburg 1881, p. 6; nonulla addita sunt exemplis a Genthio collatis in Woelfflini Archiv f. Latein. Lexicographie III, p. 62.

[2]) Similiter apud Graecos legimus *σπεύδοντα ὀτρύνειν*, velut Hom. Jl. IIX, 293.

[3]) cf. Corp. paroem. graec. I p. 409 nr. 78; II, p. 415, nr. 72a: *ἐπ' ἀμφότερα καθεύδειν.* Vide Lorenz ad Plaut. Pseud. 122.

scribendo ‚in alteram aurem' significaret, se non quidem plane, sed tamen satis securum esse, Academica probaturum esse Varronem [sic suo iure Bo. in adn.]. Plautus iocatus scripsit in Pseud. 122: *De istac re in oculum utrumvis conquiescito*; usitatam proverbii formam servavit Ter. in Heaut. II, 2, 101: *In aurem utramvis otiose ut dormias.*

In Cic. ep. ad Fadium Gallum, fam. VII, 25, 1 exstant: *Sed heus tu, manum de tabula; magister adest citius, quam putaramus.* Landgrafius, l. l., ad haec laudavit Petron. cap. 76.

Quo Cicero usus est proverbio in ep. ad Torq., fam. VI, 3, 4, etiam apud Graecos[1]) verbo semper caret: *Sed rursus γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te haec.* Similiter scripsit ad Varr., fam. IX, 3, 2: *Sed quid ego nunc haec ad te, cuius domi nascuntur*[2]), *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας*, et Q. fr. II, 15, 4. . . . . *et tibi versus, quos rogas, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, mittam.* [cf. p. 67, adn. 1].

Att. XIV, 10, 1: *γῆν πρὸ γῆς cogito* infinitivus a *cogito* pendens desideratur: cf. p. 53. Recte, opinor, Sch., Manutio auctore, Ciceronem respexisse ad illud Aeschyli suspicatus est, quod legitur in Prometh. 685 sq. *οἰστροπλὴξ δ' ἐγὼ Μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι*; cf. etiam Aristoph. Ach. 223; Luc. Alex. 46.

Saepe autem Cicero proverbium brevissime sic significavit, ut unum vel alterum vocabulum poneret, ex his iam sententiam satis intellegi posse ratus. Eiusmodi est, quod scriptum invenimus in Cic. ep. ad Att. X, 5, 2: *Quod mihi mandas de Quinto regendo, Ἀρκαδίαν*; ex oraculo Lacedaemoniis olim dato proverbium apud Graecos erat: *Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς*[3]),

[1]) Luc. Nigr. initio: *Ἡ μὲν παροιμία φησί, Γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, ὡς γελοῖον ὄν, εἴ τις ἐκεῖ κομίζοι γλαῦκας.*

[2]) quod idem exstat Att. I, 19, 3 et Acad. II, 80.

[3]) Her. I, 66: *Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς. οὔ τοι δώσω*, quem versum Romani sic verterunt: *Arcadiam petis; immensum petis; haud tribuam istud!* cf. poet. lat. min. ed. Baehrens, III. p. 273.

i. e. rem difficilem et inutilem mandas. — Att. II, 12, 2: *Ubi sunt, qui aiunt* ζώσης φωνῆς; [supplendum est μείζω ἐνέργειαν εἶναι ἀφώνων διδασκάλων. cf. Bootii adn. ad h. l. qui plura huius rei exempla congessit.]. — Att. XV, 4, 1: *si vero etiam Carfulenus* [ad Octavium transiit), ἄνω ποταμῶν [sc. χωροῦσι παγαί = Eur. Med. 411: cf. Zen. II, 56 ἐπὶ τῶν ὑπεναντίως λεγομένων ἢ γινομένων.]. — Quod Att. IX, 6, 6 legimus: . . . *una fuissemus, consilium certe non defuisset*: σύν τε δύ' ἐρχομένω, sic saepius Cicero alterum hemistichium [καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν = Hom. Il. X, 224] omisit, velut in ep. ad Varr., fam. IX, 7, 1.

Reliquum est, ut paucis verbis significemus, et ubi et qua condicione Cicero— nam verborum ellipsis usus earum epistularum, quae ab aliis scriptae una cum Tullianis ad nostram memoriam pervenerunt, nisi quod qui scripserunt multo parcius ommissiones admiserunt, non ita discrepat a Tulliano — elliptica oratione usus sit.

Ac primum quidem ex iis exemplis, quae attuli, perspicuum esse confido, mancam orationem esse in iis maxime Ciceronis litteris, quas ad amicissimos et familiarissimos homines dedit, multo vero minus in iis, quas misit ad homines, quibuscum levi tantum amicitia coniunctus erat, plenam fere in iis solis, quas publice scripsit. Quo fit, ut nusquam plus legantur ellipses quam in epistulis ad Atticum datis, quem unice omnium dilexit.

Sed si quaerimus, quibus condicionibus quibusve adductus rebus Cicero relicta plena oratione abruptum illud dicendi genus praetulerit, duae, opinor sunt causae; desiderantur enim verba praesertim tum, cum Cicero animo perturbatus litteras scripsit, et cum res, quas cum amicis communicabat, sive quia parvi sane momenti eas esse putavit, sive quod persuasum habuit, ea quae brevissime dixisset, satis esse ad intellegendam sententiam, paucis verbis et obiter tantum significavit.

Ea autem ellipsis causa, quam priore loco protuli, ut

in epistulis sic in philosophicis scriptis et in orationibus saepissime apparet. Nec id mirum! Quid enim magis consentaneum est, quam eum, qui sive publicis rebus sive privatis vehementer commovetur, sive laetatur, sive dolet, ea potissimum in litteris scribere, in quibus summa est orationis vis.

Sed is ellipsis usus, cuius causas posteriore loco commemoravi, qui in Ciceronis epistulis late patet, a communi dicendi genere abhorret, non abhorret ab epistularum sermone. Etenim in epistulis scribendis cum opus sit, idem vocabulum saepius repeti, e cotidiano usu fit, ut talia vocabula, quippe quae ex verborum contextu facile audiri possint, silentio praetermittantur. Quorum in numerum imprimis ea referam verba, quae aliquo modo pertinent ad notionem litterarum velut *scribendi, rescribendi, communicandi, dandi mittendi, afferendi reddendi, accipiendi*; deinde verba *dicendi* et *respondendi, loquendi interrogandi, audiendi, sciendi habendi*; tum verba motum exprimentia ut *proficiscendi veniendi, adveniendi revertendi*, et quae existentiam exprimunt, *esse* et *manere*; denique *faciendi, agendi, fieri, interest, pertinet.*

Quae verba, quorum nonnulla interdum etiam ab aliis scriptoribus omissa videmus, velut *faciendi, dicendi, interrogandi* e. q. s., crebro supplenda Cicero in epp. reliquit, idque his maxime condicionibus:

a) in responso, cum epistulae ad se datae rescripsit: cuius rei exempla protuli p. 18; 33 adn., 36 multisque aliis locis. Insigne huius ellipsis exemplum exstat in Ciceronis epistula ad Atticum data, XV, 13, 4, cuius paragraphi sermo sane abruptus et contractus est.[1])

b) in adhortatione, ubi facile oratio verbo carebat, quia, quod opus erat, ex antecedente vel sequente epistulae parte

[1]) Mirum est, quanta interdum Cicero in rescribendis litteris usus sit breviloquentia: Att. XV, 7, 1: *Gratum, quod mihi epistulas.* XV, 21, 2: *Quod ad Xenonem, probe.* V. 4, 2: *Sed tamen commode, quod cum Scrofa.* XV, 13, 4: *De Anniano idem, quod tu.*

cogitatione suppleri poterat. Quae ellipsis in his potissimum verbis apparet: *proficiscendi* p. 52; *faciendi* p. 59; *scribendi* p. 64—65; *mittendi* vel *dandi* p. 69—70; *audiendi* p. 85—86.

c) in transitione, praesertim in verbis: *esse* p. 24 sq; *revertendi* p. 56; *scribendi* p. 67; *dicendi* p. 73; *agendi* p. 82 sq; *audiendi* p. 84; *attinet* p. 88 sq. Talis vero omissio verbi *esse* et verbi *dicendi* non epistularum solum, sed etiam cuiusvis orationis propria fuit: ac verbi *esse* quidem in hac locutione omissi nonnulla exempla e Ciceronis orationibus repetita l. l. attuli; *dicendi* autem vocis ellipsi nihil usitatius est apud scriptores Romanos in hoc sermonis genere.

d) in sententiis optativis, in quibus praeter cetera desiderantur verba: *esse* p. 33; 34; 44; *scribendi* p. 66 sq.

e) in sententia interrogativa obliqua, cum Cicero eum, ad quem scribit, rogat, ut sibi nuntiet, qualis sit status rerum, verbum *esse* p. 40 sq.

f) Saepius denique Cicero in ea dicendi forma, in qua verbum cum substantivo coniunctum unam efficit notionem, id verbum omisit. Tale aliquid exstat in verbo *faciendi* p. 59 sq.; *dandi* p. 71; *agendi* p. 84; *habendi* p. 87.

Sententiae controversae.

1) Wesenbergium in editione Ciceronis epistularum ad Atticum datarum codici Tornaesiano et editionibus Ascensianae, Cratandrinae, Lambinianis nimiam auctoritatem tribuisse.

2) Verba, quibus Cicero in ep. ad Qu. fr. II, 9, 3 iudicium facit de Lucretii versibus, sic distinguenda esse: *Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt: multis luminibus ingenii, multae etiam artis; sed, cum veneris! Virum te putabo, si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo.*

3) Glossam, de qua Loewius desperat in opusc. glossograph. p. 151, sic legendam esse: *Cadmeae victoriae: non bonae.*

Vita.

Natus sum Henricus Guilelmus Adolphus Heidemann a. d. MDCCCLXVII a. d. XI Kal. Apriles patre Julio, matre Clara, de gente Stephani, quos adhuc vivos pio gratoque veneror animo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis in gymnasio Coloniensi huius urbis imbutus inde ab anno h. s. LXXVI usque ad annum LXXXVI gymnasium Berolinense Leucophaeum frequentavi, quod adhuc sub auspiciis Friderici Hofmanni floret.

Maturitatis testimonio accepto universitatis Berolinensis civis factus sum, ut studiis philologicis operam navarem. Vere anni insequentis Gottingam transmigravi, unde, sex menses ibi moratus, Berolinum redii. Postquam annum stipendia merendo consumpsi, usque ad annum LXXXXI philologicis veterisque historiae studiis imprimis incubui.

Per decies sex menses docuerunt me vv. dd. Dilthey, Lange, W. Meyer, Sauppe Gottingenses; Diels, Dilthey, Erman, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Koser, Meyer, Paulsen, Rothstein, Toepffer, Vahlen, Zeller Berolinenses.

Gottingae Guilelmus Meyer benigne permisit, ut regii philologorum proseminarii essem sodalis, et Dilthey, ut archaeologicis exercitationibus interessem, Berolini Vahlen et Rothstein ad philologicas exercitationes, Zeller ad philosophicas, Hirschfeld ad historicas et epigraphicas benigne aditum mihi praebuerunt.

Quibus omnibus de me meritis viris doctis gratiam semper habebo maximam, praesertim iis, qui in exercitationibus summa liberalitate studia mea adiuvabant litterarumque amorem incitabant.